DE

ITINERIBUS HERODOTI EUROPAEIS ET AFRICANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

F. R. HILDEBRANDT
MAGDEBURGENSIS.

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXIII.

AVUNCULO CARISSIMO

OTTONI BRANDT

MAGDEBURGENSI

PIETATIS DOCUMENTUM OBTULI.

Scrutandis Herodoti itineribus operaturi nec inutilem laborem nec intempestivum nos suscepisse confidimus. Primus enim veterum peregrinatorum, quorum quidem non plane delituerunt vestigia, historiaeque cum arte conscriptae idem conditor nonne iure quodam, philologi ut cursuum suorum vices quantum possint in lucem evocent ex tenebris, quasi exspectare atque adeo sibi postulare videtur? Et profecto licet omnia etiam minima congerenda et diligenter ac prope fastidiose examinanda sint, habet hoc quidem non parum oblectationis, historiae parentem per totum paene quatenus tunc patebat orbem pedisequi instar sectari. Cum vero, quod caput est, fidem Herodotus quantam habeat, recte iudicari nisi fontibus quibus usus sit investigatis atque expensis non possit, nihil locum inter fontes obtinet potiorem, quam ipsius scriptoris, si quidem gravis testis est, spectatio. Quare mirum videri potest, quaestionem neque supervacuam neque infructuosam ab uno adhuc viro docto via ac ratione pertractatam esse. Namque praetermissis eis, qui aut in struenda locorum congerie acquieverunt [1]), aut singulis itineribus exquirendis intenti supersederunt [2]) totam materiem exsequi, aut alius argumenti quasi ἐν παρέργῳ itinera tantummodo perstrinxere [3]), unius Heysii [4]) opera commemoranda est. Qui quamvis accuratum se cautumque praestiterit, nec plenum locorum numerum comparavit et rationem sequi solet parum satisfacientem. Confusis enim inter se quae confundi cum nusquam tum hac in quaestione minime debent, ea dico, quae probabilia videantur

[1]) Ukert, Geogr. d. Griech. u. Röm. I pag. 71 sqq.; Forbiger, Geogr. d. Griech. u. Röm. I. pag. 68 sqq.; Baehr, Herod. musae IV, p. 423 sqq.

[2]) Hansen, Osteuropa u. die Skythen nach Herodot p. 1—7, § 1—16. — Kolster, Archiv f. Phil. XII. 1846, p. 584 sqq.

[3]) Dahlmann, Herodot. Aus seinem Buche sein Leben (Forschungen auf d. Gebiete der Geschichte II, p. 160 sqq.) — Rogge (Prutz, Literarhist. Taschenb. 1847, p. 119). — Blum, Herodot u. Ktesias p. 48 sqq. — Mure, A critical history of the language and literature of ancient Greece IV, p. 264 sqq. — Rawlinson, History of Herodotus I, p. 8 sqq. — Stein, praef. edit. adnotationibus instructae, p. XI, sqq. — Hachez, de Herodoti itineribus et scriptis.

[4]) Heyse, Quaestiones Herodoteae I, p. 84 sqq.

esse, et ea, quae pro demonstratis habere liceat, obliviscitur, quantum intersit, Herodotum verbi causa Corinthi adfuisse utrum comprobemus an opinemur. Quae enim probaverimus, eis tanquam firmissimo solo inniti qualibet in quaestione fas erit, cum quae vel summa arrideant probabilitate, quoniam ad sensum recedunt et iudicium in singulis hominibus diversum, aliis alia plerumque videantur. Accedit quod Heysius sermonis Herodotei consuetudinem, qua in observanda cardinem rei non semel verti procedente commentatione apparebit, attingere magis oblata occasione, quam data opera expedire voluit. Itaque cum ne huius quidem commentariis satis tuto uti liceret, Matzatius in alius argumenti scriptione [1]) itinera ab Herodoto in Asia facta de integro perscribere necesse habuit. Qui quanquam et subtiliter et copiose munere suo functus est — ita quidem, ut in multis adsentientem me habeat, nonnunquam iudicio lapsus esse videatur, id quod infra hic illic palam fiet — in universum probabilia nimis aucupatus est. Neglecta autem debitae cautionis severitate effecit, ut nihil fere ex illa dissertatione, nisi quod denuo ipse perquisiveris, pro certo ac vero accipere liceat. Cum tamen tanta fuerit Matzatii diligentia, ut materia undique conquisita apteque disposita facultatem legentibus pararet certa ab incertis suopte iudicio dignoscendi, in cura eius acquiescere interim placet. Idem quoniam ceteris terrarum partibus non vacavit, tempestive me hisce pagellis enucleaturum speravi, quae et Europae et Africae loca ipse inviserit Herodotus. Ego autem ne idem quod Heysius Matzatiusque probrum merear, procul remotis, quidquid certis causis et quibus credere debeas non subnixum, in mera coniectura positum est, eorum tantum rationem constanter habebo, quorum de fide ne tenuissima quidem dubitatio resideat. Mihi omnis in certo cura; hanc legem nobis statuimus, ut certa ab incertis, quoad eius fieri poterit, distinguamus.

[1]) Matzat, über die Glaubwürdigkeit der geogr. Angaben Herodots über Asien, Herm. VI, p. 392 sqq.

PARTICULA PRIOR.
DE ITINERIBUS EUROPAEIS.

CAP. I.
De Propontide et locis vicinis.

§ 1. Exordior a septentrionali Propontidis littore.

Herodotum Byzantii fuisse ex l. IV c. 87 concluserim; quo loco pontem Mandrocles iunxerit, suis oculis suoque iudicio quaesivisse videtur (cf. ibid. fin. *«τοῦ δὲ Βοσπόρου ὁ χῶρος τὸν ἔζευξε βασιλεὺς Δαρεῖος, ὡς ἐμοὶ δοκέει συμβαλλομένῳ, μέσον ἐστὶ Βυζαντίου τε καὶ τοῦ ἐπὶ στόματι ἱροῦ»*).

§ 2. Quae sunt in l. IV c. 95: *«ὡς δὲ ἐγὼ πυνθάνομαι τῶν τὸν Ἑλλήσποντον οἰκεόντων Ἑλλήνων καὶ Πόντου»* testes in ipsa patria aditos non demonstrant. Accolas quod contestatur IV c. 90, collatis III c. 18: *«φάναι δὲ τοὺς ἐπιχωρίους»* (sc. Aethiopiae), et IV c. 184: *«τοῦτο* (h. e. Atlantem) *τὸν κίονα τοῦ οὐρανοῦ λέγουσι οἱ ἐπιχώριοι εἶναι»* abicies. Quae de salubri Teari fluvii vi, de duodequadraginta eius fontibus, de situ loci inter Heraeum Apolloniamque medii quippe duorum dierum itinere ab utroque oppido distantis memorantur (IV c. 90), haec coram adfuisse scriptorem non evincunt. Teari fontes secundum Herodotum partim frigidi sunt partim calidi, qua de re prorsus singulari recentiorum quidem peregrinatorum commentarii tacent. Sed qui anno h. s. XLVII. illam Thraciae partem peragravit Jochmus[1]) apud vicum Bunarhissar fluvium invenit, cuius fontes aestivo omnes tempore frigidi, hieme multi ad liquefaciendam nivem glaciemque incalescunt. Nec absurda erit suspicio, scriptorem paullulum erravisse, sic fortasse, ut quam hieme esse discrepantiam comperisset, per universum annum manere opinaretur. Sed cum Teari de cursu parum conveniat[2]), non tam criminari Herodotum, quam in dubitando conquiescere cauti est. Tearum in Contadesdum, hunc in Agrianen, Agrianen in Hebrum incidere (IV. c. 90) percon-

[1]) Jochmus, Notes on a Journey into the Balkan, cf. Journ. of the R. geogr. soc. vol. XXIV. p. 45.

[2]) cf. Baehr, ad IV c. 89 sq. — Stein, ad IV c. c. 89.

tando discere licuit, sicut de Scythicis fluviis curiose scriptorem percontatum l. IV. cc. 48 sqq. produnt. Praeterea scit Dareum ad Tearum tres dies substitisse (IV. c. 89 fin.) titulumque cippo insculpsisse, quam inscriptionem ad verbum refert (IV. c. 91). Videtur fida Herodoti memoria, nam nisi imponi sibi Jochmus[1]) passus est, cippi aliquod in quo Assyriae litterae exstabant fragmentum etiam huius saeculi initio in vico Bunarhissar superstes fuit. Quocum concinunt cippi a Dareo ad Bosporum positi (IV. c. 87), alter Assyriis, i. e. cuneatis, alter Graecis litteris copiarum numerum declarantes. Sed num scriptorem ipsum ad Tearum usque perducere necesse est? Nonne viderunt Herodoti aetatem iique fortasse non pauci, qui cum Darei expeditioni interfuissent, uti de bello sic de itinere cippique inscriptione narrare possent? Quanquam quo argumento vicisse sibi videtur Kolsterus[2]), inspecto cippo perfecti formam «γέγραπται» locum habuisse, non spectato aoristum, planis formis simplicibusque pro intellectu vulgari et totius graecitatis communi sensum inicit solius Herodoti proprium.

Tanquam prope fidem sit scriptorem tecte et indiciis subtilissime abditis significaturum fuisse, quod ingenue proloqui nescio quae aenigmatum cupido prohiberet! Immo curat res a Dareo gestas, se ipsum, sua itinera, oculorum suorum testimonium nec voluit arcessere nec opus fuit. Aoristus autem «ἐγράφη» spectationi uti non favet ita non obest.

Dareum apud Artescum fluvium magnos lapidum colles congeri iussisse (IV. c. 92), subiecisse Getas, supra Apolloniam et Mesambriam Cyrmianarum Nipsaeorumque sedes esse (IV. c. 93), item Getarum de Salmoxi fabulas (IV. c. 94), commodissime a Graecis per Thracicam Ponti oram passim habitantibus audire potuit, quorum testimonio utitur IV. c. 95 init.

Quae cum ita sint, non porro pervagantem hosce tractus Herodotum fingemus; idem num ad Istrum excesserit, perinde ambigo. Est haud dubie de Istro certiora edoctus: scit quinque ostia (IV. c. 47), fluvios Istro accurrentes (IV. c. 47—49), fontem oriri ad urbem Pyrenen (II. c. 33), urbem Istriam (ibid.), adde I. c. 202, alia, quorum nihil magna ad persuadendum vi instructum est. Quanquam sine causa quandam esse motam[3]) dubitationem sentio. Etenim quamvis conveniat, falsa Herodotum de Istro et hieme et vere sibi pari com-

[1]) l. c. p. 44.
[2]) l. c. p. 588.
[3]) A Baehrio (cf. Herod. Mus. IV, p. 429).

perisse[1]) accidere tamen potuit, ut scriptori ad fluvii ripam ostiumve paullulum commorato sui iudicii utendi potestas non fieret. Aliorum autem nugis deceptum esse peregrinatorem, quid habet singulare? Immo fortunae, quae est communis omnium, immunem fuisse Herodotum aegre opinor; neque neglegamus, quod populares testes sciscitari quam barbaros procul dubio maluerit. Ut similia arcessam: fuit Herodotus in Thebaide Aegypti, cuius incolas pluvium Psammenito regnante delapsum portenti instar esse miratos adfirmat (III. c. 10): *«ὕσθησαν γὰρ Θῆβαι αἱ Αἰγύπτιαι, οὔτε πρότερον οὐδαμὰ ὑσθεῖσαι οὔτε ὕστερον τὸ μέχρι ἐμεῦ, ὡς λέγουσι αὐτοὶ Θηβαῖοι»*, quanquam nunc scimus pluvium illic, etsi non ita crebro, at defluxisse antiquitus[2]) et defluere.[3]) Constat Herodoto Scythiam spectatione notam esse, sed errat opinatus[4]), octo ibi menses hieme compleri, cum nimio, ut qui sub caelo suavissime temperato natus fuerit, horrore septentrionalis plagae duritiam reformidaret[5]). Sicut iter ad Istrum factum probari nequit, ita cavendum est, ne erroribus scriptoris abutamur.

CAP. II.

De Scythia.

§ 1. Byzantium igitur adiit Herodotus; idem quin in Colchide fuerit, l. II c. 105 haecce: *«λίνον μοῦνοι οὗτοί τε* (sc. Colchi) *καὶ Αἰγύπτιοι ἐργάζονται κατὰ ταὐτά, καὶ ἡ ζόη πᾶσα καὶ ἡ γλῶσσα ἐμφερής ἐστι ἀλλήλοισι»* dubitare non sinunt. Nam ut Colchos aliis locis convenire[6]) potuerit, non facile potuit extra sedes eorum domesticas qua linum ratione tractarent cernere. Ergo de Colchide Byzantioque convenit. Adde quod nonnullis indiciis[7]) perquam probabile fit, Herodotum littus Asiae praelegendo cognovisse. Et profecto consuetae reticentiae oblitus disertus ipse testis exsistit IV c. 86: *ὁ μέν*

---

[1]) Kruse, de Istri ostiis p. 28 sqq.

[2]) Wilkinson, cf. Rawlinson l. c. II. p. 403 adn. 4.

[3]) Hartmann, Erdbeschreib. v. Afrika I. p. 32—42. — Champollion, Briefe a. Aeg. u. Nubien, übers. von Gutschmid p. 129.

[4]) IV. c. 28.

[5]) Hansen, l. c. p. 57, § 163. — Neumann, Hellenen im Skythenlande I. p. 63. — Kohl, Reisen i. Südrussl. II. p. 83 coll. p. 96 sq.

[6]) Sic Breddin, Bedenken geg. Herod. asiat. Reise p. 3—5.

[7]) cf. Matzat, l. c. p. 412 sqq.

νυν Πόντος οὗτος καὶ Βόσπορός τε καὶ Ἑλλήσποντος οὕτω τέ μοι μεμετρέαται καὶ κατὰ τὰ εἰρημένα πεφύκασι». Quid vero? Fuisse Herodotum Byzantii et in Colchide concedimus; idem quin Asiae oram legerit dubium vix est; hunc cursum ipse se testatur emensum esse: nonne ratio cogit, navigationem secundum Ponti longitudinem factam statuere? Sentit ita Steinius[1]) nec secus de Byzantio ostiove Phasidis iudicat[2]). Miror autem quod illud iter pro facto accipiens diversam plane vim tribuit verbis eiusdem conexus hisce: «*ἐς δὲ Θεμισκύρην τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι ποταμῷ ἐκ τῆς Σινδικῆς (κατὰ τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου εὐρύτατον) τριῶν τε ἡμερέων καὶ δύο νυκτῶν πλόος.*» Hoc quoque spatium ipsum se emensum dicit verbis istis supra adscriptis. Adnotat Steinius ad IV. c. 86 «*μεμέτρηται* sc. *ἐμοί* (14), 'ich habe durch Berechnung gemessen'. Aehnlich I 93 11. Der Vf. hat zwar den Pontos befahren, aber nicht in den hier angegebenen Dimensionen. Die Dauer der Fahrten erfuhr er leicht aus den Schiffsbüchern (*περίπλοι*) der Pontosfahrer». Fieri mehercle non potest, ut fide Herodoto derogata navi eum longitudinem Ponti emensum infitiemur: quippe dicit ipse. Sequitur, ut iter Sindicam inter Themiscyramque item confecerit, cum perverse putares, idem verbum et emetiendi et computandi significationibus simul esse praeditum. Omnino non adstipulor Steinio interpretanti «ich habe durch Berechnung gemessen»; *μετρέειν* nihil significat nisi «metiri» nec aliam in loco, quem Steinius adfert, l. I. c. 93, notionem deprehendo. Verba faciens Herodotus de tumulo Alyattis: «*οὖροι δέ*» inquit, *πέντε ἐόντες ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν ἐπὶ τοῦ σήματος ἄνω, καί σφι γράμματα ἐνεκεκόλαπτο τὰ ἕκαστοι ἐξεργάσαντο καὶ ἐφαίνετο μετρεόμενον τὸ τῶν παιδισκέων ἔργον ἐὸν μέγιστον.*» Probabilius nonne est, Herodotum vel passibus vel *ὀργυιῇσι* singularum partium magnitudinem emensum esse, quam, ut vult Steinius ad h. l., discrimina partium istarum numeris in terminis, quos dicit Herodotus, significata fuisse? Quod inutile dixerim, cum fugere neminem posset, quae maior pars minorve esset, ac sufficeret indicare, hoc esse opus meretricum, illud opificum. Et dicit Herodotus, metienti sibi apparuisse «*τὸ τῶν παιδισκέων ἔργον ἐὸν μέγιστον,*» de numeris in lapidibus incisis tacet nec res probabilis est. Ego autem non video, quid causae fuerit, cur iter illud tantopere Steinio[3]) displiceret. Putat, vel

---

[1]) praef. p. XIX sq.

[2]) ibid. pp. XIX. XX.

[3]) Idem iudicat Kolster, l. c. p. 589 sq., argumento nisus perquam inani, quippe intervallum inter Ipsum et Sinopen interiectum coartari nimis ab Herodoto.

potius videtur putare, — nam divinanda causa est in tanta adnotatiunculae brevitate —, intellegi non posse, quid talem ad navigationem allexerit peregrinatorem. Sed opus suscipit perarduum, qui casuum vices ludibriumque coniciendo persequi conatur. Sive commercii causa Sindos adiit sive mera sciscitandi cupiditate, nos minime debemus dubitantes ad ea accedere, quorum accuratiore scientia caremus.

§ 2. In Scythia Herodotum adfuisse, ego quidem concludo e l. IV. c. 81, cuius loci pondus ut amoliretur Hansenius[1]) frustra luctatus est. Ut cetera nunc mittam, imperfecto uti Herodotum attende: «*τοσόνδε μέντοι ἀπέφαινόν μοι ἐς ὄψιν*»; «*τοῦτο ὦν ἔλεγον οἱ ἐπιχώριοι ἀπὸ ἀρδίων γενέσθαι*»; «*ταῦτα δὲ περὶ τοῦ πλήθεος τοῦ Σκυθέων ἤκουον*». *Ἐπιχωρίων* sane testimonium aliquotiens adhibetur eorum, quorum ad fines non meavisse Herodotum convenit. Hoc luculente demonstratur verbis l. IV. c. 184: *τοῦτο τὸν κίονα τοῦ οὐρανοῦ λέγουσι οἱ ἐπιχώριοι*» nam de Atlante sermo est. Aut sciscitatus est Herodotus ab incolis eius, de qua agit, regionis, aut alii incolas illos sic loqui narraverunt, ut fabulam Aethiopum de solis mensa non ab ipsis Aethiopibus accepit: (III. c. 18) «*φάναι δὲ τοὺς ἐπιχωρίους κτλ*» sc. «*λέγεται*». Hic quoque ut IV. c. 184 «*λέγουσι οἱ ἐπιχώριοι*» dicere potuit.

Ἐπιχώριοι igitur si testium munere funguntur, adiumentum de spectatione Herodoti quaerentibus non inferunt; quod per totam hanc quaestionem memoria teneas rogo. Non aliter se habere rem, cum excitentur *οἱ ταύτῃ οἰκημένοι* vel *οἱ οἰκήτορες* suo loco adnotabimus. Plane aliud statuendum est ubi «*ἔλεγον οἱ ἐπιχώριοι*» invenitur. Hoc imperfectum prohibere debuit Hansenium, quominus non penetrasse Herodotum ad Exampaeum, vix ullum vidisse Scytham contenderet. Etenim si putavit fortasse, exemplum sibi obtigisse eius usus, quem Krügerus[2]) sic interpretatur: «Im historischen Vortrage beziehen sich Imperfecte wie *ἔφασαν*, *ἔλεγον* zuweilen nicht auf die dargestellte Zeit, sondern auf die wo Berichterstatter dem Erzähler die bezüglichen Nachrichten mittheilten», vehementer erravit. Quem usum ab hoc loco alienum esse inde apparet, quod incolae eius ipsius, de qua agitur, regionis testes diserte laudantur. An dicturum fuisse credis Herodotum: «quo tempore alii me de cratere illo certiorem faciebant, incolae Exampaei narrabant haec»? Sic scribens brevitati magis quam in-

---

[1]) l. c. p. 4, § 9; 10 a, b.
[2]) Gr. Sprachlehre I p. 150, § 53, 2 adn. 3.

tellectui lectorum prospexisset. Quis enim planissimis verbis «οἱ ἐπιχώριοι ἔλεγον» aut auditis aut lectis aliud cogitatione addet, quam «quo tempore aderam et cum incolis sermones conferebam»? Quod putarem, etiam si non dixisset supra «διαφόρους λόγους περὶ τοῦ ἀριθμοῦ ἤκουον» quibus ex verbis, praecipue ex vocabulo «λόγους», «ἔλεγον» ad sequentia «καὶ γὰρ κάρτα πολλοὺς εἶναί σφεας καὶ ὀλίγους ὡς Σκύθας εἶναι» audire simplici verborum intellectui optime convenit, ita, ut «σφεας» pronomen reflexive accipiatur [1]).

Sed monitum te volo ne ex praesenti tempore («οἱ ἐπιχώριοι λέγουσι,» ut I. cc. 173. 191. II. c. 60. VIII. c. 124) contrarium efficiendum esse rearis. Nam praesenti posito minime significat scriptor, se terram illam, cuius excitat incolas, non intravisse. Modo ἔλεγον (ἔφασαν) dicit, modo λέγουσι, etiam si certa est spectatio, ita quidem, ut tum narret et quodammodo describat, quod fit per imperfectum, tum referat rem, quam durare putat ad id, quo scribit, tempus. Sic II. c. 122 «μετὰ δὲ ταῦτα ἔλεγον τοῦτον τὸν βασιλέα ζωὸν καταβῆναι κάτω κτλ.» et ibidem infra «τὸν δὲ ἱρέα τοῦτον καταδεδεμένον τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγουσι κτλ.» II. c. 55: «τάδε δὲ Δωδωναίων φασὶ αἱ προμάντιες . . . . . τὴν δ' ἐς τοὺς Λίβυας οἰχομένην πελειάδα λέγουσι . . . . Δωδωναίων δὲ αἱ ἱρεῖαι . . . . ἔλεγον ταῦτα.»

Saepius legitur apud Herodotum «ὥρεον», ut II. cc. 106. 150, ad quod esse audiendum «cum aderam» nemo non videt. Item se habet «ἤκουον», si incolae regionis aut excitantur aut ex conexu intellegendi sunt: II. cc. 2. 50 (bis). IV. c. 81. IX. c. 16.

Adde «εἰρόμην» II cc. 104. 150.

Huc refero etiam «ὡς ἐμοὶ ἐφαίνετο» VII. c. 129, «ὡς ἐμοὶ ἐδόκεε» II. c. 170. «εὖ μοι ἐδόκεον λέγειν» II. c. 5, cum consentaneum videatur, id tempus imperfecto significari, quo aut spectando aut audiendo iudicium sibi scriptor formaverit.

Sed acriter observandum est, praesentiam Herodoti non ipso tempore, sed significatu verbi comprobari, quippe cum audire aut cernere non potuerit nisi praesens nec fieri possit, ut alio qui narret, alio, qui audiat, loco versetur. Quod quin verum sit non dubitabis contemplatus, etiam aoristos «εἶδον» «ἤκουσα» «ἔφρασαν», licet rarius, tamen usurpari hic illic, ubi non minus constet praesentia: «εἶδον» I. c. 183. III. c. 12. V. c. 59. «ἤκουσα» II. cc. 3. 32. 33. «ἔφρασαν» II. c. 150. Adde «πυθόμενος» III. c. 12. Solet describere, ita, ut id temporis, quo aut spectaverit aut audiverit, ante oculos quasi ponat le-

---

[1]) ut VIII. c. 130 et passim alibi.

genti (*«ὥρεον»* h. e. ich sah), potuit referre tantummodo rem dictitans *«εἶδον»* h. e. ich habe gesehen. Quare Steinius adnotans ad I. c. 146 *«ἦν*, als der Autor dort war» et ad I. c. 182 *προσήιε*, redibat, zur Zeit als H. in Babylon war» non videtur dicturus fuisse, his et ceteris, quos excitat ad I c. 192 locis (I. c. 160. 193. V. c. 45 [1]). 115. VI. c. 98. 119. VII. c. 129) in imperfecto inesse, quod demonstret, adfuisse Herodotum singulis regionibus, quo res relatae tempore acciderent. Hanc imperfecti vim minime esse, ipse Steinius planis verbis pronuntiat ad IV. c. 124 *«τῶν ἔτι ἐς ἐμὲ τὰ ἐρείπια σόα ἦν»*: *«ἐς ἐμέ*, d. i. bis auf die Zeit, da H. am Pontos von ihnen hörte. An Autopsie ist nicht zu denken.»

Nec minus certum exemplum IV. c. 204 *«Βάρκην, ἣ περ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν οἰκεομενη ἐν γῇ τῇ Βακτρίῃ»* suppeditat, cum ad Bactriam non venisse Herodotum constet [2]). Sed haec infra accuratius examinabimus, ubi de usu formularum *«ἐς ἐμέ»* et similium anquirendum erit [3]). Praedicere tamen licebit, fore ut explicationi modo propositae etiam maior accrescat fides, utpote nihil usquam significari imperfecto, nisi factam esse rem narratam, quo tempore notitiam suam scriptor collegerit [4]).

Obtineo tamen, verbi *«λέγειν»* eam esse naturam, qua demonstretur, Herodotum *«ἔλεγον οἱ ἐπιχώριοι»* dicentem in Exampaeo fuisse. Idem suadent, quae de cratere illo praeterea narrat. (IV. c. 81): Dicit multitudinem Scytharum ad oculos sibi monstratam esse, *«τοσόνδε μέντοι ἀπέφαινόν μοι ἐς ὄψιν»* crateris amplitudinem, crassitudinem aeris accurate scit, comparat hunc craterem, cum eo, quem *«ἐπὶ στόματι τοῦ Πόντου»* Pausanias dedicaverit, IV. c. 52 amarae aquae fontem in Exampaeo scaturire memorat. Concedo mea sponte fieri potuisse, ut homini forsitan Graeco uterque crater notus esset, et ita notus, cuius mensuras satis accurate memoria teneret; verum tamen non pronuntiamus *«ἐς ὄψιν»* nobis esse monstrata quae ex aliena aestimatione referimus. Hac in re Hansenius reluctantia scriptoris verba ad praeiudicatam cui deditus est opinionem accommodasse videtur. Nos contra in Exampaeo fuisse Herodotum [5]) pertendimus.

---

[1]) Vc. 47, 10 falso adscripsit.

[2]) v. p. 15.

[3]) v. p. 14 sqq.

[4]) Commentationem Zanderi (de imperfecti atque aoristi apud Herodotum usu), doleo, quod inspicere non potui.

[5]) Idem sentiunt: Heeren, Ideen etc. I. 2 p. 165 sq. adn. — Niebuhr, Kl. Schr. I, p. 354. — Heyse, l. c. p. 132. — Neumann, l. c. I. p. 197. Kolster, l. c. p. 591. — Stein, l. c. p. XIX.

§ 3. Olbiae Herodotum commoratum omnes, quod sciam, tanquam rem plane certam ac concessam adserunt [1]). Quae nescio qui probari possit, cum neque tecte usquam neque diserte *αὐτοψίαν* significatam videam. Mihi quoque persuasum est, haud facile futurum fuisse, ut Graecus homo neglecta Olbia, colonia eius regionis longe florentissima, ex Scythia abscederet; sed cum peregrinationes, sicut cuncta humana, fors regat, neque fortuita nobis in disceptationem cadant, ea argumenta cautius procul arcentur, quorum utcumque casus particeps est. Praeterea haec considerentur: IV. c. 17 enumeratio gentium Scythicarum ab Olbia incipit, utpote quae totius orae medium locum teneat; memorantur et quae Olbiae finitima fuit *Ἱππόλεω ἄκρη* et fanum Cereris in illa exstructum IV. c. 53; observa quod addit ibidem: «*πέρην δὲ τοῦ ἱροῦ ἐπὶ τῷ Ὑπάνι Βορυσθενεῖται κατοίκηνται.*» Olbia ad ostium Hypanis posita a Borysthene prope abfuit ac novit scriptor utrumque amnem describitque (IV. 52 sq.) tanquam certissimae scientiae plenus. Accedit quod ad Exampaeum nescio unde facilior aditus patuerit quam ab Olbia. Olbiopolitas, vel, ut ait ipse, Borystheneïtas, testes excitat IV. c. 78 neque dubito quin quae cc. l. IV. 78. 79. 80 continentur eorundem ex memoria fluxerint. Quae cum coniuncta similitudinem veri in universum agnoscendam non mediocriter confirmare videantur, probabilitatem concedere non moror. Sed cum certa nos noscendi curam subierimus, constantia poscit, ut iudicium in suspenso relinquamus.

§ 4. Carcinitis [2]) oppidum bis commemoratur IV. c. 55. et c. 99, sed commemoratur tantum. Scit Herodotus *Ἀχιλλήιον δρόμον* [3]) littori inter Olbiam Carcinitidemque praetentum, fluvium apud Carcinitidem in mare incidere Hypacyrin; in mensuris constituendis meridionale Scythiae latus ab Istri ostio ad Carcinitidem extendit: quibus ne nimium tribuas non est quod moneam. Accedit quod latus ei Scythiae meridionale IV. c. 99 ab Istro ad Carcinitidem, IV. c. 101 indidem ad Maeotin pertinet. Si adfuisset Carcinitide, haud scio an computationis aliunde haustae vitium suo iudicio deprehensurus fuerit, quippe Carcinitidem spatio quamvis exiguo tamen haudquaquam neglegendo a Maeotide distare. Nolo premere quod Hypacyrin, magnum amnem, quem illic Ponto adfundi putat,

---

[1]) Ut: Heyse, l. c. p. 132. — Niebuhr l. c. p. 358. — Hansen, l. c. p. 3. § 8. — Neumann l. c. p. 102. — Stein, l. c. p. XIX.

[2]) De situ convenire nunc videtur: cf. Hansen l. c. p. 23 sqq. § 73 sqq. Neumann l. c. p. 377 sq. quique ab istis laudantur.

[3]) IV. cc. 55. 76.

si fuerit [1]) unquam, rivum fuisse minimi momenti nunc quidem inter omnes constat. Quo certe spectationis probabilitas non augetur.

§ 5. Haud secus de Tyritarum urbe iudico. Verba l. IV. c. 11 « . . . . . . ϑάψαι τὸν δῆμον (καί σφεων ἔτι δῆλός ἐστι ὁ τάφος)» collatis eis quae infra [2]) disputabimus omni vi privantur. Aliquantulo plus valet Herculis vestigium in Tyrae ripa monstrari narratum l. IV. c. 82. Quod cum a mercatoribus [3]) non ita difficulter audiri licuerit, ipsorum Tyritarum semel tantum mentio iniciatur l. IV. c. 51, dirimi quaestio nequit. Kolsterus cum l. c. p. 591 spectato vestigio «ἔφαινόν μοι» scribendum fuisse contenderet, eundem in errorem incidit, quem supra perstrinximus (v. p. 4.).

§ 6. Maeotidem Herodoto visam non esse et ex prava quam sibi finxit Chersonesi Tauricae figura optimo iure concluserunt et eo satis confirmari putant, quod Maeotidem Ponto non multo minorem hariolatur IV. c. 86 fin. Prorsus adsentior; iis contra, qui propter comparatam cum Attica Japygiaque Tauricam [4]) aliquam dumtaxat Chersonesi partem circumnavigatam statuunt [5]), hi loci scrupulum evellant:

Comparantur I. c. 202 insulae Araxis, quae fabulosae sunt, cum Lesbo, I. c. 98 Agbatanorum ambitus cum ambitu Athenarum, cum neque Araxem [6]) adierit Herodotus neque caput Medorum [7]). Adde III. c. 101 (de Indis et Aethiopibus) et III. c. 102 (de Indis et Bactris).

§ 7. Chersonesum Tauricam montibus asperam, Taurorum mores adeo inhumanos esse, ut naufragos quosve forte ceperint Graecorum Iphigeniae mactarent (IV. c. 103), non dubito quin et Scythae sciverint et Graeci, Taurorum utrique vicini. Sed quod ipsos testes facere videtur («λέγουσι αὐτοὶ Ταῦροι» ibid.) dubitationem cuipiam moverit.

Testatur eodem modo Caunios I. c. 172. Cnidios I. c. 174. Syros Palaestinenses II. c. 104. Phoenices II. c. 104. VII. c. 89. Eleos IV. c. 30. Libyes IV. c. 187. Gephyraeos Athenienses V. c. 57. Parios VI. c. 134. Medos VII. c. 62. Bithynos VII. c. 75. Cyprios VII. c. 90. Thessalos VII. c.

---

[1]) cf. Kolster l. c. p. 590.
[2]) p. 13 sqq.
[3]) Commercium Graecorum Ponti accolarum adumbravit Prellerus Ausgew. Aufsätze p. 441.
[4]) IV c. 99.
[5]) Heyse, l. c. p. 134. Stein, l. c. p. XIX.
[6]) cf. Matzat, l. c. p. 471 sqq.
[7]) id. p. 462 sq.

129. Argivos VII. c. 150. c. 152. Abderitas VIII. c. 120. Athenienses IX. c. 73. Hos aut in ipsa patria certo adiit aut alibi convenire potuit, quare inhospitali Taurorum populo, quos cum vicinis commercium habuisse vix crediderim, non apte conferuntur. III. c. 26 ipsi Hammonii testes excitantur, quibuscum etsi fieri potuisse concedo ut in Aegypto colloqueretur, eo tamen propendeo, ut quidquid de Iovis Hammonis oraculo profert Herodotus Cyrenaeis testibus adscribam. Hos enim diserte contestatur II. cc. 32. 33. neque causam video, cur hoc a Cyrenaeis, illud aliunde accepisse Herodotum coniciamus. En exemplum quo utamur idoneum.

Nam si Hammoniorum, quos non adiit profecto, nihilo secius «ipsorum» testimonium adfert, cur diversa Taurorum ratio statuatur?

Iam interiora Scythiae perlustranda sunt, quorum tria tantum — excepto Exampaeo — in disceptationem cadunt: quaeritur, num Hylaeam, num Budinos, num Oarum fluvium viserit Herodotus.

§ 8. Hylaeam ad sinistram Borysthenis ripam *Ἀχιλληίῳ δρόμῳ* oppositam [1]) variarum arborum plenam esse [2]), perflui Panticapa [3]), finiri Hypacyri [4]) fluviis novit — in quibus nihil deprehendo, quin ad Olbiopolitarum, Hylaeae vicinorum, fidem referre ausim. Contra Heysium [5]) ad Gerrhum usque penetrasse Herodotum conicientem adnotare sufficit, Gerrhus ille an commenticius sit a viris geographiae peritis admodum dubitari [7]).

§ 9. De Budinis quae referuntur l. IV. cc. 108 sq., efficacissima esse ad commendandam spectationem non abnuerem nisi ipse scriptor gravissimum contrarie iudicanti adiumentum subministraret: ipse enim aperte nescit ubi sedes fuerint Budinorum. L. IV. cc. 17. 51. 125 Neuri inter Agathyrsos et Androphagos supra Tyram fere ponuntur, Budini c. 21 ultra Tanain; c. 105 Budini Neurorum sunt vicini et Neuri sua terra relicta in Budinis, quippe finitimis, consederunt. Quod sane non expressis verbis adfirmatur, sed vix sibi persuadere potuit scriptor, Neuros a Tyra ultra Tanain serpentibus esse agitatos. Haec ut cumque sese res habet, cc. 17. 51. 125 Agathyrsi et Androphagi latera Neurorum cingunt. Et cum

---

1) IV. c. 76. 2) IV. cc. 19. 76. 3) IV. c. 54.
4) IV. c. 55. Praeterea cf. Kohl, l. c. I. p. 36 sqq. II. p. 75 sqq.
5) l. c. p. 134.
6) cf. Kolster, l. c. p. 592. Hansen, l. c. p. 26 § 80. p. 44 § 124.

Ptolemaeus [1]) Ammianusque [2]) Budinos inter Borysthenem et Desnam orientem versus a Neuris ponant, quaesiverim sedes Budinorum in confinio Neurorum ad Borysthenem [3]); quocum bene convenire dicerem, quod narrat Herodotus, Gelonos e Graecis coloniis emigrasse, nisi plurimi viri iique peritissimi fidem huic memoriae derogarent. [4]) Budinos igitur vix adiit Herodotus; qua in quaestione paullo diutius sum moratus non quia discrepare inter se viros doctos viderem, sed potius ut perspicuo exemplo demonstrarem, quantilla vel plenissimae esset descriptionis ad persuadendum auctoritas, et quo quid splendidiore fidei specie niteret, eo minus anxia singulorum examinatione supersederi posse.

§ 10. De Oaro haec habet Herodotus: «*ἐπεὶ ὦν ὁ Δαρεῖος ἦλθε ἐς τὴν ἔρημον, παυσάμενος τοῦ δρόμου ἵδρυσε τὴν στρατιὴν ἐπὶ ποταμῷ Ὀάρῳ. τοῦτο δὲ ποιήσας ὀκτὼ τείχεα ἐτείχεε μεγάλα, ἴσον ἀπ᾽ ἀλλήλων ἀπέχοντα, σταδίους ὡς ἑξήκοντα μάλιστά κῃ · τῶν ἔτι ἐς ἐμὲ τὰ ἐρείπια σόα ἦν.*» (IV. c. 124). Qui sit Oarus cuiusque regionis, latet; Herodoti ex opinione ab oriente Maeotidi inlabitur. Controversiae nihil est, quin expeditionem Herodotus Darei iusto longius propagatam et fabulosis auctam exhibuerit; certe Tanain Persis exsuperatum esse nemo nunc credit. Sequitur Darei ultra Maeotidem castella non fuisse, quae nisi omnino deceptus est scriptor, alio nescio quo pacto explicari debent [5]).

At Herodotus spatium singulis castellis interiectum accurate indicat! Hoc aliquo in numero ducendum esset, nisi saepius in mensuras et omnino numeros percontando exploratos incideremus.

Demptis autem eis mensurarum numeris, quos aut ex itinerariis sumpsit — ut mensuras Aegypti [6]) et regiae viae [7]), fortasse etiam Libyae [8]) — aut a mercatoribus aliisque testibus nullo negotio comperire potuit ut quae ad Scythiam et Sarmatiam pertinent —; item omissis, quas aut emensus est ipse [9])

---

[1]) III. 5, 24. [2]) XXXI, 2, 4.

[3]) Qui praeierunt v. apud Ukertum l. c. III. 2, p. 537 sqq. Forbigerum, l. c. II. p. 458 sq.

[4]) cf. Hansen, l. c. p. 103 § 298, quanquam Schafarik, Slavische Alterthümer p. 157 «*Γελωνοί*» ex nomine «*Ἕλληνες*» derivatum vel potius depravatum putat. Penes me non est iudicium.

[5]) cf. Dahlmann l. c. p. 162. Voigt, Histor.-geograph. Studien p. 14. Duncker, Geschichte des Alterthums IV^{5} p. 514.

[6]) II cc. 6—9.

[7]) cf. Matzat, l. c. p. 454.

[8]) cf. Meltzer, Geschichte der Karthager p. 74 coll. p. 443.

[9]) IV. c. 86.

aut sua aestimatione computavit[1]): restant nonnulla ad nostrum usum accommodata. Legimus de Gelono IV. c. 124: «τοῦ δὲ τείχεος μέγαθος κῶλον ἕκαστον τριήκοντα σταδίων ἐστί», IV. c. 195 longitudinem Cyrauis insulae ad fidem Carthaginiensium refert. Adde haec I. c. 60: «ἐν τῷ δήμῳ τῷ Παιανιέι ἦν γυνὴ τῇ οὔνομα ἦν Φύη, μέγαθος ἀπὸ τεσσέρων πηχέων ἀπολείπουσα τρεῖς δακτύλους κτλ.» I. c. 68: «ἐγὼ γὰρ ἐν τῇδε ἐθέλων τῇ αὐλῇ φρέαρ ποιήσασθαι, ὀρύσσων ἐπέτυχον σορῷ ἑπταπήχεϊ;» I. c. 183 magnitudinem simulacri cuiusdam Babyloniis a Xerxe erepti Chaldaeis se debere ait; VII. c. 117 Artachaeae, Acanthi defuncti, mensuram accurate indicat («ἀπὸ γὰρ πέντε πηχέων βασιληίων ἀπέλειπε τέσσερας δακτύλους»). Produnt haec, peregrinatorem de mensuris sedulo sciscitatum esse.

Unum restat argumentum, in quo diutius commorari non sine usu fuerit.

Viri docti in explicando dictionum «ἐς ἐμέ» vel «μέχρι ἐμεῦ (ἐμέο)» significatu tanquam in caligine vacillant. Quas aut certum praestare et definitum, ubicumque ponantur, spectationis documentum[2]) aut nihil ad hanc quaestionem pertinere[3]), aut aliud aliis occasionibus valere consent.[4]) Fluctuantis iudicii inconstantiam ad severitatem rationis vocare Matzatius studuit[5]) cui tamen res secus cecidisse videtur. Persequamur viri docti argumentationem. Matzatius disputans[6]) de loco VI c. 119. «ἐνθαῦτα (in vico Ardericca) τοὺς Ἐρετριέας κατοίκισε βασιλεὺς Δαρεῖος, οἳ καὶ μέχρι ἐμέο εἶχον τὴν χώρην ταύτην κτλ.», ut probet in formula μέχρι ἐμέο certum esse spectationis indicium, ratiocinationem instituit hanc: «Beachtet man nun noch, dass von den dreizehn Localitäten, bei welchen ausser dieser sich noch Notizen mit einem solchen ἐς ἐμέ oder μέχρι ἐμέο (ἐμεῦ) finden, Hs. Autopsie bei elfen[7]) auch anderweitig ganz gesichert, bei einer[8]) höchst wahrscheinlich, und nur bei jenem Barka, wo die betreffende Notiz ganz unbestimmt

---

[1]) II. c. 8.
[2]) Rogge, l. c. p. 124 coll. adn.*)
[3]) Hansen, l. c. p. 3, § 7. — Breddin, l. c. p. 10. — Stein, ad IV c. 124.
[4]) Dahlmann, l. c. p. 187 coll. p. 161. — Heyse, l. c. p. 100 coll. p. 136.
[5]) l. c. p. 448 sqq.
[6]) l. c. p. 449.
[7]) I. 52 Theben; I. 66 Tegea; I. 92 Delphi; I. 93 Grab des Alyattes; I. 181 Babylon; II. 154 Reste einer griechischen Ansiedlung bei Bubastis in Aegypten; II. 181 Kyrene; V. 77 Athen; V. 88 Argos; ib. Aegina; V. 114 (sic!) Kypros.
[8]) IV. 125 Ruinen von Kastellen des Dareios in Skythien.

gehalten ist, nicht anzunehmen ist: so hat man also für die Anwesenheit Hs. in Arderikka eine Wahrscheinlichkeit von zwölf oder doch mindestens elf gegen eins».

Nos primum opponimus ex undecim his locis removendos esse quattuor: nam de castris illis mercenariorum (II. c. 15), de Argis (V. c. 88), de Aegina (ib.) plane nihil compertum esse infra demonstrabimus, et quod ad Amathuntem (V. c. 115) attinet, nihil habet Matzatius quo nitatur nisi quod Cyprii testes adhibentur [1]) nec ignarum se Herodotus rerum Cypriarum prodit [2]). Sed Cyprios quidni Halicarnassi, quidni in quovis Asiae portu convenire potuerit? Mihi quidem nihil obtigit, quod extra Cyprum comperire non licuerit.

Neglexit Matzatius II. c. 131: *«ταῦτα γὰρ ὧν καὶ ἡμεῖς ὡρέομεν ὅτι ὑπὸ χρόνου τὰς χεῖρας ἀποβεβλήκασι, αἳ ἐν ποσὶ αὐτέων ἐφαίνοντο ἐοῦσαι ἔτι καὶ ἐς ἐμέ»* (de Sai loquitur) et VIII. c. 121: *«πρῶτα μέν νυν τοῖσι θεοῖσι ἐξεῖλον ἀκροθίνια ἄλλα τε καὶ τριήρεας τρεῖς Φοινίσσας, τὴν μὲν ἐς Ἰσθμὸν ἀναθεῖναι, ἥπερ ἔτι καὶ ἐς ἐμέ ἦν κτλ.»* Sed cum de Isthmo non esse certam rem persuasum habeamus [3]), summum octo, non undecim locos exstare eos contendimus, ubi causae aliunde petitae spectationem suadeant.

Alterum quod male me habet hoc est: Dicit Matzatius spectationem in loco IV. c. 124 perquam esse probabilem: qui ne unum desideraret calculum rem neglegentius inspexisse videtur. Nos contra cum Steinio consentimus ad h. l. adnotante: «An Autopsie ist nicht zu denken».

Quod cum ita sit, unum hoc exemplum sufficere putaverim, quo refutetur subtilis ista formularum *ἐς ἐμέ* et similium interpretatio.

Herodotum non fuisse in Bactria, et sibi et mihi ipse persuasit Matzatius [4]): At legimus IV. c. 204: *«οἱ δὲ τῇ κώμῃ ταύτῃ οὔνομα ἔθεντο Βάρκην, ἥ περ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν οἰκεομένη ἐν γῇ τῇ Βακτρίῃ.»*

Matzatius sane imminuere loci pondus conatur («wo die betreffende Notiz ganz unbestimmt gehalten ist»), sed unum hoc quaeritur, utrum de regione aliqua sermo sit necne.

Fac tamen ceteris locis omnibus, ac si placet innumeris, constare *αὐτοψίαν*, vanam esse Matzatii rationem nihilo secius

---

[1]) I c. 105. VII c. 90.

[2]) I c. 199. II c. 79. IV c. 162. V cc. 9. 104 sq. 108. 110. 113. 114. 115. VII c. 195.

[3]) cf. infra c. V § 1.

[4]) l. c. p. 484.

pertendimus. Mire enim quasi itionem in partes facit, ita quidem, ut hinc stans Herodotus undecim calculis suffragetur, illinc idem stans Herodotus refragetur calculo uno. Debuit Matzatius aut hic quoque statuere spectationem, ut Roggius constantiae magis quam rationis studiosus ad Bactriam usque penetravisse vult[1]) Herodotum, aut concedere, in formula *ἐς ἐμέ* spectationis documentum non latere. Nobis iacta videtur esse alea: confidimus positis *ἐς ἐμέ*, *μέχρι ἐμέο* (*ἐμεῦ*), *κατ᾽ ἐμέ*, *ἐπ᾽ ἐμέο*, nihil significari, quod ad hanc quaestionem ullo modo pertineat. Sed ut omnis evellatur scrupulus et quia subtilissimi virum acuminis Kirchhoffium[2]) contrariae sententiae addictum video, usum harum formularum Herodoteum totum perquirere libet, congestis exemplis et dispositis quae exstant omnibus.

Quae sit naturalis dictionum *ἐς ἐμέ*, *μέχρι ἐμέο* (*ἐμεῦ*), *κατ᾽ ἐμέ*, (*ἐπ᾽ ἐμεῦ*) significatio, nemo dubitat: *ἐς ἐμέ*, hoc est «ad meum usque tempus», *κατ᾽ ἐμέ* «meo tempore». Sed quaeritur servaveritne Herodotus simplices has notiones an sibi singulares propriasque constituerit.

Elucet primarium esse significatum *ἐς ἐμὲ ζῶντα*, h. e. ad id quo vixi tempus, *κατ᾽ ἐμὲ ζῶντα*, h. e. quo tempore vixi. Significatur vitae tempus eis locis, ubi aoristo posito res narratae ut factae certaeque memorantur, ubi addito *ἐπ᾽ ἐμέο* vel *κατ᾽ ἐμέ* vixisse se declarat scriptor, quo tempore ista acciderint. Sic II. c. 46: «*ἐγένετο δ᾽ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ ἐπ᾽ ἐμεῦ τοῦτο τὸ τέρας · κτλ.*» et IV. c. 148: «*τουτέων δὲ τὰς πλεῦνας ἐπ᾽ ἐμέο Ἠλεῖοι ἐπόρθησαν*» (loquitur de oppidis quibusdam Triphyliae).

Eadem est ratio praesentis generalibus mensurarum numeris adiuncti (cf. II. c. 145: «*Διονύσῳ μέν νυν τῷ ἐκ Σεμέλης τῆς Κάδμου λεγομένῳ γενέσθαι κατὰ ἑξακόσια ἔτεα καὶ χίλια μάλιστά ἐστι ἐς ἐμέ κτλ.*», ibid. «. . . *Πανὶ δὲ* . . . . . . *κατὰ ὀκτακόσια μάλιστα ἐς ἐμέ*») nec aliud statuo, cum de consuetudinibus moribusque agitur, ut II. c. 113: «*ὁ νόμος οὗτος διατελέει ἐὼν ὅμοιος τὸ μέχρι ἐμεῦ ἀπ᾽ ἀρχῆς.*» II. c. 122 «*ὁρτὴν δὴ ἀνάγειν Αἰγυπτίους ἔφασαν, τὴν καὶ ἐγὼ οἶδα ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἐπιτελέοντας αὐτούς.*» V. c. 58: «*ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ᾽ ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι.*» VII. c. 111: «*Σάτραι* . . . . . . *διατελεῦσι τὸ μέχρι ἐμεῦ αἰεὶ ἐόντες ἐλεύθεροι μοῦνοι Θρηίκων.*» VII. c. 115: «*τὴν δὲ ὁδὸν ταύτην,*

---

[1]) l. c. p. 127 adn.
Mure l. c. p. IV p. 247 eodem inclinat, sed cunctantius.
[2]) Verba eius infra exscribam.

τῇ βασιλεὺς Ξέρξης τὸν στρατὸν ἤλασε, οὔτε συγχέουσι Θρήικες οὔτ' ἐπισπείρουσι, σέβονταί τε μεγάλως τὸ μέχρι ἐμεῦ.» VI. c. 42: «οἳ κατὰ χώρην διατελέουσι ἔχοντες ἐκ τούτου τοῦ χρόνου αἰεὶ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ὡς ἐτάχθησαν ἐξ Ἀρταφρένεος.», ubi tributum enarratur singulis annis vel certo temporis spatio interiecto iteratum.

Seorsum perpendenda sunt l. III c. 10 haec: «ὕσθησαν γὰρ Θῆβαι αἱ Αἰγύπτιαι οὔτε πρότερον οὐδαμὰ ὑσθεῖσαι οὔτε ὕστερον τὸ μέχρι ἐμεῦ, ὡς λέγουσι αὐτοὶ Θηβαῖοι», ubi τὸ μέχρι ἐμεῦ cum participio aoristi positum est. Valet idem μέχρι ἐμεῦ hoc loco quod μέχρι τοῦδε, ἔτι καὶ ἐς τόδε I. c. 94. II. c. 13. IV. c. 10. VII. cc. 107. 123. 193. IX. c. 73.

μέχρι ἐμεῦ cum participio aoristi suppeditant etiam l. VI. c. 98 haec: «μετὰ δὲ τοῦτον ἐνθεῦτεν ἐξαναχθέντα Δῆλος ἐκινήθη, ὡς ἔλεγον Δήλιοι, καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα»; sed cum imperfecto ἔλεγον certum praeteriti temporis spatium describatur, non sufficit intellegere μέχρι ἐμεῖ «ζῶντος». Hinc quaestio oritur, quid sit intellegendum. An ἐπιδημέοντος, ut placet Roggio, Kirchhoffio, Matzatio? Respondebunt ea, ad quae nunc transitum facio exempla, ea dico, in quibus imperfectum locum habet. Ordiamur a IV. c. 204: dicit Herodotus «ἐς ἐμὲ ἦν οἰκεομένη» et dicit de vico quodam, quem non visitavit. Quid sit mente addendum, ex adnotatione Steinii discitur ad IV. c. 124 adscripta: «ἐς ἐμέ, d. i. bis auf die Zeit, da H. am Pontos von ihnen hörte.», h. e. ἐς ἐμὲ «ἱστορέοντα». Sic audimus VI. c. 98 ἔλεγον Δήλιοι «ἱστορέοντί μοι» (cf. II. c. 113 «ἔλεγον δέ μοι οἱ ἱρέες ἱστορέοντι») et μέχρι «ἐμεῦ ἱστορέοντος».

Idem cadit in omnia exempla, quotquot formulas ἐς ἐμέ similesque exhibent. Ubique significat Herodotus, fuisse rem narratam, quo tempore sciscitatus sit; utrum ipsis illis, de quibus loquitur locis certior factus an alibi auditione et fama edoctus sit, reticet, quippe cuius nihil intersit itinerum suorum cursus memoriae tradere. Hoc mihi constare videtur, dictionibus istis ἐς ἐμέ, μέχρι ἐμέο (ἐμεῦ), κατ' ἐμέ, ἐπ' ἐμέο (ἐμεῦ) nihil contineri, unde spectationis indicium depromere liceat.

Addimus reliquorum, in quibus imperfectum reperitur, exemplorum plenum recensum: «ἐς ἐμέ» I. cc. 52. 66. 92. 93. 181. II. cc. 130. 131. III. c. 97. IV. c. 124. V. cc. 45. 77. 89. VIII. c. 121. «μέχρι ἐμέο (ἐμεῦ)» II. cc. 154. 182. V. c. 115. VI. c. 119. «ἐπ' ἐμέο (ἐμεῦ)» I. c. 5. »κατ' ἐμέ» VII. c. 170.

De eo, quod extremo loco adtulimus, exemplo certissimum iudicium Kirchhoffius [1]) confidenter pronuntiavit; in rem est,

[1]) Abh. der Berl. Akad. phil. hist. Kl. 1871 p. 13.

virum doctissimum audire ipsum. «Die Stelle», inquit, «VII. c. 170 *Καμικόν, τὴν κατ' ἐμὲ Ἀκραγαντῖνοι ἐνέμοντο* lässt der Natur des Ausdrucks, wie dem ganz constanten Gebrauche des Verfassers nach keine andere Deutung zu, als dass Herodot damit habe sagen wollen, dass Kamikos zu der Zeit, als er den Ort besuchte, im Bezitze der Akragantiner gewesen sei».

Kirchhoffius utinam verbis minus pepercisset! Poterat paucis exponere formulae *κατ' ἐμέ* an imperfecto an utrique tantam vim tribueret. Ego examinata satis larga exemplorum copia eum ad finem perveni, ut intellegerem, nihil in dictionibus istis latere, quod a primaria eorum notione differat.

Prima autem lex et integra esse debet interpreti, ne inferat interpretando, qualia a textu simpliciter intellecto aliena sunt. Itaque cum neque Maeotidis bene se gnarum scriptor neque terrae ulterioris [1]) ullo loco prodiderit, cum argumenta ex mensuris adscita in irritnm ceciderint, cum denique «*ἐς ἐμέ*» frustra urgeri sat superque apparuerit, non restat, quod visum Herodoto Oarum commonstret.

§ 11. Fuit tamen in Scythia haud dubie: quam qua via ingressus, qua in reditu sit usus, non perinde liquet. Vectus est a Bosporo Thracico ad Phasin, a Sindis ad Themiscyram [2]); plura ipse non commemorat. Ne a Phasi Olbiam petitam conicias Matzatius [3]) monet, et profecto quae continentur IV. c. 12 ad veram orientalis orae naturam male quadrare confitendum est [4]). Quanquam nescio an rectiore cursu usus potestatem accurate littora cognoscendi nactus non fuerit. Sed haec incertior res videtur, quam quae diiudicari possit.

Indicatur IV. c. 101 Istri ostia quantum a Borysthenis ostio distent: sed mensurarum nullam esse utilitatem supra apparuit et hic quidem duorum milium stadiorum numerus iusto amplior videtur [5]). Quare in suspenso relinquere iudicium satius est.

CAP. III.

De Thracia, Macedonia, Thessalia.

§ 1. Pervagatam video inter viros doctos [6]) opinionem, Herodotum vestigia Persarum per Asiam et Europam ingres-

---

[1]) Maeotarum semel tantum mentionem facit IV. c. 123.
[2]) IV. c. 86. [3]) l. c. p. 417. [4]) Neumann. l. c. I. p. 113.
[5]) ibid. p. 351 sqq.; Matzat, l. c. p. 423 adn. 7.
[6]) Heyse, l. c. p. 126. — Dahlmann, l. c. p. 43. — Blum, l. c. p. 53. Mure, l. c. IV. p. 246. — Rawlinson, l. c. I. p. 11. — Matzat, l. c. p. 406.

sorum intentis oculis secutum esse. Qui vereor ne nimis propere iudicaverint. Rectissime enim Steinius [1]) septentrionalis, quae est ultra Peneum, Thessaliae notitiam abiudicat ab Herodoto, cum fluviorum, qui in Peneum incidunt, exiguorum mentione iniecta, Europum omnium longe maximum praetermiserit. Quod illa Thessaliae parte peragrando cognita vix, opinor, commisisset. Ipse addo hoc: Inde a Therma Persis montes superaturis quattuor viae patebant: fuit via per Tempe munita, qua Xerxes uti noluit (v. VIII c. 129); altera a faucibus Petraeis appellata [2]) inter Olympum et montes Pierios ad Europi vallem, tertia per fauces Volustanias [3]) multo longiore flexu ad eundem Europum ducebat. Licuit denique semita ab Heraclea Gonnum usque Tempe quasi a tergo circumvenire. Haec semita teste Livio [4]) «adeo ardua et aspera et confragosa . . . . fuit», qua innumeras copias incomposita iumentorum calonum mulierum turba etiam magis impeditas usas esse ab omni veri similitudine prorsus abhorreat, cum praesertim planior transitus isque duplex in promptu esset. Cur autem Xerxes, si Gonnum petiturus fuit, Tempe ex navi conspicere necesse habuit? [5]) Licuit apud Gonnum commodius spectare, quod oppidum alteri vallis portae proxime adiacebat. Nec quod bis adfirmat Herodotus Xerxem *«κατὰ τὴν ἄνω Μακεδονίην»* transmeavisse (VII. c. 173. coll. VII. c. 128 *«ὅτι τὴν ἄνω ὁδὸν ἔμελλε ἐλᾶν διὰ Μακεδόνων τῶν καθύπερθε οἰκημένων»*), ad semitam illam ullo pacto quadrat. Confudit haud dubie diversas vias; sed procul abest, ut quem arbitratur itineris cursum commento ipsius tribuam. Immo dispertitis Persas viribus in toto itinere incessisse cum Steinio [6]) consentiens hunc ego nodum ita expediam, ut primam et alteram exercitus partem per fauces Volustanias Petraeasque, tertiam semita — nimirum praemissis, qui obstantia silvarum amolirentur et viam levigarent — traductas esse arbitrer. Cuius viae difficultatibus levis potissimum armatura par fuit, contra quantum gravioris agminis, iumenta item calonesque, utraque via et Volustania et Petraea uti potuerunt. Jam causam erroris circumspiciamus. Ipse autem Herodotus si Gonni sciscitatus esset, fieri vix potuit, quin veram semitae naturam animadverteret. Ego putaverim, testimonio scriptorem niti hominis alicuius Persarum in itinere

[1]) VII. c. 129.
[2]) cf. Leake, Travels in Northern Greece III. p. 338. Liv XXXIX. 26.
[3]) cf. Liv XLIV. 2.
[4]) XLIV. 3.
[5]) cf. VII. c. 128.
[6]) ad VII. c. 128.

sodalis: hunc cum Gonnum adsecutum sciret, cum sciret — eodem fortasse ex fonte — regem per superiorem Macedoniam iter fuisse facturum, accidit, ut alterius viae cursum cum termino alterius confunderet. Testem suum audiverit enarrantem an scriptas notas, itinerarium dico, ad manum habuerit, difficile est diiudicatu. Hoc habet, quo commendetur, cum nimiam illam qua falsus est scriptor brevitatem apte explicare videatur et accedant nonnulla, quae eundem ad fontem referre si non necesse est, at licet. VII. c. 42 fin. tempestatem copiis non sine magna hominum strage obortam, c. 43 sacra Troicis heroibus oblata, nocte denique subito milites terrore adflictatos esse; c. 125 exercitu ad Echidorum appropinquante leones camelis onerariis incidisse, temperasse a ceteris et iumentis et hominibus, c. 100 naves Xerxi inspiciendas quattuor plethra a littore in mare reductas esse, c. 114 Magos in *Ἐννέα ὁδοῖσι* sacra fecisse ritu patrio, c. 43 Scamandri, c. 58 Melanis, c. 109 lacus cuiusdam, c. 127 Echidori, c. 196 fluviorum Achaiae aquam sitientium multitudine exhaustam: haec omnia non ea sunt, quae nisi ex itinerario hauriri non potuerint, sed dubito an rectius ad scriptum fontem quam ad percontationem referantur. Hoc sensu magis quam argumentis discernitur, nec mihi sumo, ut mea opinio valere debeat, sed cavere volui, ne quo argumento abuteremur, cuius aliqua ex parte vacillaret auctoritas. Neque vero nimis hanc suspicionem prementes vitato uno vitio in contrarium currere, sed summa omnia ponderantes severitate nihil eis, quae possint fuisse itinerarii, debemus confidere.

§ 2. Absolvamus primum quae ad universam Thraciam spectant:

IV. c. 33: *οἶδα δὲ αὐτὸς τούτοισι τοῖς ἱροῖσι τόδε ποιεύμενον προσφερές, τὰς Θρηικίας καὶ ʽτὰς Παιονίδας γυναῖκας, ἐπεὰν θύωσι τῇ Ἀρτέμιδι τῇ βασιλείῃ, οὐκ ἄνευ πυρῶν καλάμης ἐχούσας τὰ ἱρά. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτας οἶδα ποιεύσας.»* Speciem his — et eam quidem praecipue iteratis non sine confidentia verbis «*οἶδα δὲ αὐτός*», «*οἶδα ποιεύσας*» — perceptae oculis notitiae impositam esse non negaverim, quibus cur nihilo secius fidem derogem, in loco[1]) explanabo; interim hoc argumento abstinere praestat. IV. c. 74 linea Thracum vestimenta e spectatione describi videntur, quae nescio an extra Thraciam cerni potuerint. Verbis II. c. 103 «*ἐν μὲν γὰρ τῇ τούτων* (intellege Thraces) *φαίνονται σταθεῖσαι αἱ στῆλαι, τὸ*

---

[1]) vide infra p. 24.

δὲ προσωτέρω τούτων οὐκέτι», se scire magis quam vidisse ipsum profitetur.

Duorum denique locorum qui adferri solent, alter (V. c. 10: *«ὡς δὲ Θρήικες λέγουσι, μέλισσαι κατέχουσι τὰ πέρην τοῦ Ἴστρου»*) nihil probat — quidni colonis Graecis fabella ista Thracum nota fuerit? — alter VII. c. 115 *«τὴν δὲ ὁδὸν ταύτην, τῇ βασιλεὺς Ξέρξης τὸν στρατὸν ἤλασε, οὔτε συγχέουσι Θρήικες οὔτ' ἐπισπείρουσι, σέβονταί τε μεγάλως τὸ μέχρι ἐμεῦ»*), quod attinet ad illud *«μέχρι ἐμεῖ»* eiusdem vanitatis est. Idem valere in VII. c. 111 (*«Σάτραι δὲ οὐδενός κω ἀνθρώπων ὑπήκοοι ἐγένοντο, ὅσον ἡμεῖς ἴδμεν, ἀλλὰ διατελεῦσι τὸ μέχρι ἐμεῦ αἰεὶ ἐόντες ἐλεύθεροι μοῦνοι Θρηίκων.»*) non est quod moneam.

§ 3. Venio ad singula.

Sesti Herodotum adfuisse creditum magis quam probatum est; ipse in duo incidi, quae memoratu digna viderentur. Primum in verbis IX. 120: *«ἀπαγαγόντες δὲ αὐτὸν ἐς τὴν ἀκτὴν ἐς τὴν Ξέρξης ἔζευξε τὸν πόρον, οἱ δὲ λέγουσι ἐπὶ τὸν κολωνὸν τὸν ὑπὲρ Μαδύτου πόλιος, σανίδας προσπασσαλεύσαντες ἀνεκρέμασαν»* articulus *«ἐπὶ τὸν κολωνόν»* ut paucis explicetur postulat. Exemplum prorsus geminum VI. c. 134 haec continent: *«τὸν δὲ* (Miltiadem intellegas) *διερχόμενον ἐπὶ τὸν κολωνὸν τὸν πρὸ τῆς πόλιος* (de Paro loquitur) *ἐόντα ἕρκος θεσμοφόρου Δήμητρος ὑπερθορεῖν κτλ.»*

Utrobique duae interpretandi rationes in disceptationem cadunt: posuit articulum Herodotus aut quia colles istos notos esse lecturis eisque omnibus confidebat, aut quia ipse noverat. Prius illud ut concedam de colle Paro urbi praeiacente cogitari aliquo modo posse, quis tandem Madyti oppidi circumiectorumque situm tam pervulgatum apud Graecos fuisse concesserit? Nihil restat quod ponamus, nisi collem ut Herodoto cognitum ideoque inter ceteros certum articulo distingui. Jam quaeritur, qui Herodoto innotuerit. Aut percontando nimirum aut visu oculorum. Illud licet non plane sit absurdum — nam attende utrobique non ipsum scriptorem loqui —, meo iudicio neutiquam arridet, nisi vero Herodotum verba testis sui quasi dictantis anxio stilo excipientem et articulo tenus conservantem fingis. Quod cum consentaneae rationi repugnare videatur, opinamur, Herodotum collium olim adspectorum cum componeret opus memorem articulo esse usum. Similia passim leguntur: Sic II. c. 8 *«αἱ λιθοτομίαι»*, c. 124 *«τῶν ἐπὶ τοῦ λόφου ἐπ' οὗ ἑστᾶσι αἱ πυραμίδες, τῶν ὑπὸ γῆν οἰκημάτων κτλ»*, c. 126 *«τὴν πυραμίδα οἰκοδομηθῆναι τὴν ἐν μέσῳ τῶν τριῶν κτλ.»* c. 158 *«τῇ διώρυχι»*, c. 176 *τὸν ὕπτιον κείμενον κολοσσόν*

κτλ.» Quae in his per articulos introducuntur neque nota omnibus Graecis fuisse puto neque antea scriptori commemorata sunt. Immo spectata in memoriam revocat. Adicio III. c. 39, «ἐν δὲ δὴ καὶ Λεσβίους πανστρατιῇ βοηθέοντας Μιλησίοισι ναυμαχίῃ κρατήσας εἷλε, οἳ τὴν τάφρον περὶ τὸ τεῖχος τὸ ἐν Σάμῳ πᾶσαν δεδεμένοι ὤρυξαν», cum fossa non sit omnium urbium communis neque Samia illa tam celebris videri potuerit, cui ut nusquam Graeciae non cognitae articulus praefigeretur. Et fuit Sami Herodotus [1]).

Etiam quod dicit IV. c. 45: «τὴν ἐν Σάρδισι φυλὴν κτλ» testimonio est, scriptorem tribum illam sat certe cognitam habuisse.

Hoc igitur argumentum alicuius esse ponderis non negabimus, veritatis gratia monentes, ne quis rem ut ab omni parte commendatam ita dubitationibus fortasse obnoxiam pro certa venditet.

Quod dicit VII. c. 33 orae inter Sestum et Madytum tractum scopulosu messe, cum praeternavigando cognosci potuerit — et pervectus est Hellespontum (IV. c. 86) — procul habere malo. Ergo de Sesto in suspenso res relinquitur, quod ad Madytum attinet, probabilitate contenti esse cogimur.

§ 4. Sesto profectus exercitus «ἐποιέετο τὴν ὁδὸν διὰ τῆς Χερσονήσου, ἐν δεξιῇ μὲν ἔχων τὸν Ἕλλης τάφον τῆς Ἀθάμαντος, ἐν ἀριστερῇ δὲ Καρδίην πόλιν, διὰ μέσης δὲ πορευόμενος πόλιος τῇ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Ἀγορή. ἐνθεῦτεν δὲ κάμπτων τὸν κόλπον τὸν Μέλανα καλεόμενον καὶ Μέλανα ποταμόν, οὐκ ἀντίσχοντα τότε τῇ στρατιῇ τὸ ῥέεθρον ἀλλ᾽ ἐπιλιπόντα, τοῦτον τὸν ποταμὸν διαβάς, ἐπ᾽ οὗ καὶ ὁ κόλπος οὗτος τὴν ἐπωνυμίην ἔχει, ἤιε πρὸς ἑσπέρην, Αἶνόν τε πόλιν Αἰολίδα καὶ Στεντορίδα λίμνην παρεξιών, ἐς ὃ ἀπίκετο ἐς Δορίσκον» (VII c. 58), in quibus nihil deprehenditur itinerarii a consuetudine alieni. Pergit sic: »ὁ δὲ Δορίσκος ἐστὶ τῆς Θρηίκης αἰγιαλός τε καὶ πεδίον μέγα, διὰ δὲ αὐτοῦ ῥέει ποταμὸς μέγας Ἕβρος». Littus Dorisco adiacens describitur: «ἐν τῷ Σάλη τε Σαμοθρηικίη πεπόλισται πόλις καὶ Ζώνη, τελευτᾷ δὲ αὐτοῦ Σέρρειον ἄκρη οὐνομαστή:« Scientiam haec satis accuratam testificantur, sed desidero indicia omni modo indubia.

§ 5. Samothracia inde castella praeterit exercitus (VII. c. 108), quorum extremum fuit Mesambria. Hanc Stryme excipit, Thasiorum oppidum; medius inter eas Lissus fluit. Qui quod exsiccatus narratur, testi illi nescio an debeatur; terram antiquitus Galaïcam, Herodoti aetate Brianticam vocari ipsi rectius

---

[1]) cf. Matzat. l. c. p. 394 sq.

scriptori imputabimus, quem notitiam suam in sola Thracia colligere potuisse minime dixerim.

§ 6. Sequentia nihil impedit quin in itinerario scripta fuerint. Urbes memorantur VII c. 109 Maronea, Dicaea, Abdera, lacus Ismaris Bistonisque, rivuli, qui in Bistonidem incidunt, Travus et Compsatus. Abderitas laudat VIII c. 120; quae narrantur I c. 168. VII. c. 120. VIII c. 120 ad eosdem rettulerim, sed Abderitae nullum non frequentabant Graeciae emporium, Atheniensium socii erant.[1])

Apud Abderam Nestus traicitur, oppida nonnulla praetereuntur littoralia, quorum ad unum, Pistyrum, lacus est salsae aquae et piscium plenus, triginta fere stadiorum ambitu. Hancaestimationem testi potius tribues considerans, exsiccatum hunc quoque lacum memorari.

§. 7. Quae c. 110 enumerantur Thracum gentes num ipse adierit Herodotus ignoratur. Satras saltuosae regionis incolas, libertatem suam ad id tempus perpetuavisse, eosdem bellicis virtutibus excellere, alibi quoque comperire potuit. Plus valet cum quod oraculum Satrarum in summis montibus institutum a Bessis, muliere ut Delphis vaticinante, administrari refert c. 111, tum quod — ut recte adnotat Steinius — verbis eiusdem capitis extremis «καὶ οὐδὲν ποικιλώτερον,» suam ipsius scientiam vanis Graecorum opinionibus opponit. Neque vero quod sciscitatus est Herodotus, Graecos per Thraciam sparsos praeterire facile potuit: hi si cognitum habebant, quidni scriptori impertiverint?

§ 8. Post Satras Phagres et Pergamus, Pierum oppida praetereuntur Pangaeis montibus a dextra relictis VII c. 112. Quos montes magnos altosque ac metallis fecundos esse (quibus uterentur Pieres, Odomanti, Satrae), supra Pangaeos Paeones habitare, occidentem versus Paeoplas et Doberes, mirarer nisi Graecis, exempli causa Atheniensibus Eionem tenentibus, comperta fuissent.

Contiguam Pangaeis montibus regionem Phyllidem vocari haud scio an in scripto fonte infuerit, eandem Strymone et Angita fluviis a meridie occidenteque cingi,[2]) vix, opinor, indidem fluxit. Accedit quod Paeonum Prasiadem lacum h. e. inferiorem Strymonem in similitudinem lacus patulum[3]) incolentium et singulares mores et victus comparandi ratio tam

---

[1]) cf. K. Fr. Hermann, Versuch einer urkundlichen Geschichte von Abdera (Ges. Abh. p. 99). — Köhler, Urkunden und Untersuchungen zur Gesch. d. del. att. Bundes (Abh. d. Berl. Akad. phil. hist. Kl. 1869 p. 171).

[2]) VII. c. 113.

[3]) cf. Abel, Makedonien vor König Philipp p. 60 adn. 6.

vivide describuntur (Vcc. 15. 16. 17), ut absurdi nihil habeat, si hanc certe notitiam itinere aliquo collectam suspiceris. Sed ne multum in huiuscemodi descriptionibus ponamus, ea monent, quae de Agbatanis [1]), de interiore Sarmatia [2]), de Hammonio [3]) fama Herodotus et auditione, sed accurate et plene accepit. Accedit hoc: Eïonem, oppidum ad ostium Strymonis positum, post bellum Xerxis Athenienses suam in ditionem redegerunt; de anno ambigitur [4]). Cui expeditioni Aeschylum interfuisse scitissime coniecit Blassius [5]); hoc mihi constat, versus Persarum 866 sqq. Dind:
«*οἶαι Στρυμονίου πελάγους Ἀχελωίδες εἰσὶ πάροικοι Θρηκίων ἐπαύλων κτλ.*» de lacu Prasiade cum Weilio esse intellegendos. Verba Aeschyli satis obscura esse sponte Blassio largior; quae quod comprehendi ab audientibus potüerunt haud ambigue declarat, Athenienses Paeonum in Prasiade habitantium bene tunc gnaros fuisse. Quod si ita erat, Herodotus non dubito quin invenire Athenis potuerit, qui versati ipsi Eïone de victu accolarum cultuque satisfacerent quaerenti. Quidquid placebit, vim loci supra acciti valde infringi dilucet; dilucet insuper, cur commemorato Paeoniarum mulierum ritu uti noluerimus [6]).

§ 9. A Strymone Acanthum pergitur. Herodoti, si quae impressit, vestigia plane nunc evanuerunt; certe regionem a Persis permeatam Bisaltiam appellari (c. 115) exquisitioris eruditionis non est.

§ 10. Jam Acanthi Persae subsistunt; de Graeco viatore non idem adfirmaverim. Quod legimus Artachaeam, procerum hominem et ingenti magnitudine vocis praeditum Acanthi defunctum esse (c. 117), ab itinerarii consuetudine non modo non abhorret, sed convenit quam maxime ei, qui singulorum dierum ut secundis ita adversis rebus in scriptos commentarios referendis operam impendit. Artachaeae memoriam Acanthi herois honoribus celebrari ut ab Acanthiis doctus sit — cur non ubique Graeciae [7]) edoceri potuerit non video. Item quae refert VII. c. 22 «*τῇ δὲ τελευτᾷ ἐς τὴν ἤπειρον τὸ οὖρος, χερσονησοειδές τέ ἐστι καὶ ἰσθμὸς ὡς δυώδεκα σταδίων · πεδίον δὲ*

---

[1]) Matzat, l. c. p. 462 sq.
[2]) cf. supra p. 12 sqq.
[3]) II. c. 32 sq.
[4]) cf. Blass, Aeschylos' Perser und die Eroberung von Eïon (N. Rh.) M. 29. 1874 p. 482 sqq.
[5]) l. c. p. 482 sqq.
[6]) cf. supra p. 20.
[7]) Velut Athenis, cum Atheniensium in societate essent Acanthii cf. Köhler, l. c. p. 173.)

τοῦτο καὶ κολωνοὶ οὐ μεγάλοι ἐκ θαλάσσης τῆς Ἀκανθίων ἐπὶ θάλασσαν τὴν ἀντίον Τορώνης» et c. 23 fin. «ἐνθαῦτα δὲ λειμών ἐστι, ἵνα σφι ἀγορή τε ἐγίνετο καὶ πρητήριον» accurata illa quidem sunt, sed nihil meo continent iudicio, quod non sive ab homine Acantho oriundo sive ab alio nescio quo Chalcidices satis gnaro percontari licuerit.

§ 11. Xerxes inde ab Acantho compendio viae uti volebat (cf. VII. c. 124) sed Paeonicam milites Krestonicamque peragrant, donec Echidorum fluvium indeque Thermam adsequuntur, viam ingressi non modo non brevissimam, sed, ut palam fit ex mappis geographorum, longinquo cursu flexam. Quam inesse sentimus obscuritatem clarissime illustramus tripertito exercitum uti per Thraciam (cf. VII c. 121), sic per Macedoniam agmine iter fecisse cum Steinio[1]) ponentes. Quod cum alio in conexu enucleate exponi oporteat, hic adnotasse contenti sumus, spectationem non nimis firmari erroribus.

§ 12. Septentrionalem Thessaliam visam non esse scriptori constat[2]), attamen Tempe sese vidisse ipse testatur VII. c. 129: «ἔστι γὰρ σεισμοῦ ἔργον, ὡς μοι ἐφαίνετο εἶναι, ἡ διάστασις τῶν οὐρέων κτλ.» «ἐφαίνετο» h. e. «cum spectarem»[3]). Ceterum Thessaliae montes oppidaque hic illic commemorat, nusquam oculatum se testem ferens, nisi quod de Alo (VII. c. 197) dubitari posse concesserim. Ali nescio an adfuerit, sed quae de Athamantidarum sacrificio profert, tam perplexa video falsisque commixta, ut malim nihil statuere. Fieri nimirum poterat ut fabulosa et perversa ab indigenis sciscitaretur aut recte tradita perperam referret: utrumque parum constat.

§ 13. Tandem certis frui conceditur! Indubia enim et quibus diffidere non liceat documenta Trachinius ager tractusque meridionalis Thessaliae contigui praestant. Trachine substitisse Herodotum, Thermopylas, Anopaea, Alpenos, Anthelam, Spercheum fluvium data opera cognovisse VII. cc. 198—200; 216—218; 223 al. tantum non clamant. De Anticyra (VII. c. 198) nihil patet.

§ 14. Jam dum Persae ante claustra Thermopylarum Lacedaemoniorum virtute conteruntur, tempus est ad classem revertendi.

Stationes navium inter Acanthum et Sestum commemorantur duae, Sarpedonis promunturium (VII. c. 58) et Doriscus (ibid. c. 59); iudicandi facultas utrobique nos deficit. Inde ab Acantho accuratiora traduntur et accipimus locorum Chal-

---

[1]) ad VII c. 124 coll. 113. [2]) v. supra p. 18 sq.
[3]) v. supra p. 8.

cidicensium, quotquot classis praetervecta est, plenum recensum [1]). Quanquam coniecturam hinc minime fecerim. Enumerat Herodotus omnes Libyae [2]), Sarmatiae [3]), Asiae interioris [4]) populos; quanto explicitius fuit, Graecarum urbium nomina situsque adsequi! Nempe cuiuslibet nautae Chalcidicensis benignitate.

Unam paeninsulam Sithoniam appellari, Pallenen antiquitus, h. e. epico nomine, Phlegram audivisse (VII. c. 123), neutrum magna auctoritate pollet. Potidaeatae, quos VIII. c. 129 contestatur, quin crebri fuerint Athenis, haud discrepat [5]); testimonium (ibid.) ab indigenis petitum «*ὡς οἱ ἐπιχώριοι λέγουσι*» quantillae fidei esset, supra [6]) exposuimus. Sed articuli «*ὅτι τοῦ Ποσειδέωνος ἐς τὸν νηὸν καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ ἐν τῷ προαστείῳ ἠσέβησαν κτλ*» conferre aliquid ad nostrum usum facile videantur, si quis articuli cum de Madyto loquebamur pensitati meminit. Verum tamen multum interpositum esse discriminis animadverte, cum sciscitatus scriptor Persas ob violatum Neptuni delubrum periisse pro consentaneo putare deberet, unum tantum *ἐν τῷ προαστείῳ* Potidaeatarum Neptuni templum esse.

Licebat igitur templum ut certum ponere et a ceteris quasi distinctum. Quo in fano signum dei stare perinde consentaneum fuit et solet Herodotus simulacris, ut quibus carere templa non possint, articulum adiungere. Conferas II. cc. 63. 141. 138. «*τὤγαλμα*», III. c. 37, V. c. 71 «*τὸ ἄγαλμα*». Eodem rettulerim: I. c. 51 et II. c. 148 «*τῆς γωνίης*», I. c. 58 «*τῶν ἐθνέων*», I. c. 180 «*τοὺς ἀγκῶνας*», II. c. 140 «*τὴν δωρεήν*», coll. III. c. 97, II. c. 141 «*τὰς ἀρούρας*», «*αἱ ἐσβολαί*», II. c. 151 «*τὴν κονίην*», II. c. 163 «*τοὺς ἐπικούρους*», III c. 1 «*τῇ συμβουλῇ*», III. c. 60 «*τῶν σωλήνων*», III. c. 91 «*ἐκ τῶν ἰχθύων*», III. c. 130 «*ὁ οἰκέτης*», IV. c. 81 «*ἀπὸ τοῦ ὀιστοῦ*», IV. c. 195 «*τοὺς ἀμφορέας*», in quibus articulus hic illic pronominis possessivi vicem obtinet. Quare isto argumento nihil efficitur. Ceterum l. VIII. cc. 126—129 colore adducor, ut testes Herodoto suppetivisse cum rerum memoria large imbutos tum gnaros locorum sponte profitear.

Quae de Therma confiniisque leguntur VII. cc. 123, 127, tam accurata sunt tamque recte discripta, ut ad agnoscendam magis quam ad abnuendam spectationem inclinem. Cuius

---

[1]) VII. c. 122 sq.
[2]) IV. cc. 168—199. [3]) IV. cc. 17—27. [4]) III. c. 89 sqq.
[5]) Et hi Atheniensium in societate fuerunt; cf. Köhler, l. c. p. 179.
[6]) cf. supra p. 7.

probabilitatis fructus percipere severa quam nobis praescripsimus discernendi certa et incerta lege vetamur. [1])

§ 15. A Therma profecta classis praeter oram Magnesiam Pagasaei sinus ostium adsequiter. Subtilior Herodoti notitia patefit his: VII. c. 188 orientalem ventum Hellespontium istic nuncupari memorat et de Aminoclis fortuna (VII. c. 190) scivisse plura quam aperuisse videtur: illud tamen nescio an nautis debeat; hoc fama innotescere quidni potuerit?

Myrmecem vadum, insulam Sciathum, Sepiadem promunturium probe novit (cf. VII. cc. 183. 186. 188. 190 sq. 195; VIII. cc. 7. 66. 92, saepius), quae visendi commodissima erat occasio, cum Artemisii vicinitatem contueretur [2]).

Quam commemorat VII. c. 187 fin. fabulum num Aphetis audiverit, in obscuro est. — Ergo de Magnesia, nisi quis efficaciora protulerit, dubitabo.

CAP. IV.

De Phocide, Boeotia, Attica.

§ 1. Relicto agro Trachinio procedunt Persae, non illi quidem per Thermopylas iter facientes, sed Oetaeis montibus superatis Doridem, hinc Cephissi cursum secuti Phocidem petunt. Ita quidem Herodotus (VIII. c. 31). Cum vero itinere sic directo Thermopylae frustra expugnatae videantur, acute Steinius [3]) quattuor militum agmina constituta opinatur. Praesto fuerunt viae per Thermopylas prima, apud Tethronium altera, tertia apud Elateam, Hyampolin quarta tangebat. Jam dilucet, cur omnia haec oppida diruta a Persis narrrentur VIII. c. 33.

Ipse Herodotus num vestigia Xerxis per vallem Cephissi sectatus sit ambigo; indicium non prorsus futtile subministrant fortasse haec: »*τῆς γὰρ Δωρίδος χώρης ποδεὼν στεινὸς ταύτῃ κατατείνει, ὡς τριήκοντα σταδίων μάλιστά κῃ εὖρος, κείμενος μεταξὺ τῆς τε Μηλίδος καὶ Φωκίδος χώρης, ἥπερ ἦν τὸ παλαιὸν Δρυοπίς*« [3]). Auget similitudinem veri, quod et Trachine et Delphis procul dubio fuit.

---

[1]) Herodotum Pellae obiisse fabula est Suidae s. v. *Ἑλλάνικος*; cf. Baehr, l. c. IV. p. 421 sq.

[2]) cf. c. VII. § 1.

[3]) VIII. c. 31.

§ 2. Procedit exercitus, vastantur Drymus, Charadra, Erochus, Tethronium, Amphicaea, Neon, Pedienses, Tritenses, Elatea, Hyampolis, Parapotamii, Abae (VIII. c. 33), quorum oppidulorum num quae visitaverit, ut consuevit scriptor reticet. Abas eum profectum propter VIII. c. 27 et c. 33 volunt [1], utroque loco abusi. Vaticinia enim Abis edi (c. 33), nemotunc Graecorum nesciebat et clypeos Thessalorum Delphis partim partim Abis a Phocensibus dedicatos, statuas utrobique ex decima praedae esse positas (c. 27), Delphis comperire licuit, cum clypeos illos statuasque inspiceret.

§ 3. Persae Panopeum assecuti ita divisi sunt, ut pars Athenas pars Parnasso a dectra relicto praeter Daulidem et Aeolidas euntes Delphos pergerent (VIII. c. 34 sq.). Fuit Delphis Herodotus, perlustravit sedulo templa deorum nec dubito quin vicinitatem cognoscere curaverit. Corycium antrum fortasse adiit (cf. VIII. c. 36); contra num Parnassum escenderit vehementer dubito. Nitunter his: «*οἱ μὲν γὰρ τῶν Φωκέων ἐς τὰ ἄκρα τοῦ Παρνησοῦ ἀνέβησαν · ἔστι δὲ καὶ ἐπιτηδέη δέξασθαι ὅμιλον τοῦ Παρνησοῦ ἡ κορυφή, κατὰ Νέωνα πόλιν κειμένη ἐπ' ἑωυτῆς · Τιθορέα οὔνομα αὐτῇ · ἐς τὴν δὴ ἀνηνείκαντο καὶ αὐτοὶ ἀνέβησαν.*» (VIII. c. 32). At culmen Parnassi tam patulum aut capax non esse, in quod magna sese multitudo hominum abdiderit, Ulrichsius [2]) testis exstat ac secundum Plutarchum [3]) *Τιθόρα* (sic) non cacumen montis sed castellum iam Xerxis tempore munitum appropinquantibus Persis refugium accolis dedit. Vides non eam esse Herodoti memoriam, quam creduli arripientes ad proponendas coniecturas convertamus.

Concedo tamen, Phocaicum agrum satis cognitum Herodoto esse, licet cursum itineris vel tectis indiciis significare dedignatus sit.

§ 4. Jam Boeotiam adeamus.

Fuit Thebis (V. c. 59 «*εἶδον δὲ καὶ αὐτὸς Καδμήια γράμματα ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἰσμηνίου ἐν Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν κτλ.*» [4]), agrum Plataeensem tanta perspicuitate describit, loca proelio celebrata [5]) ad unum omnia ita commemorat, ut hanc certe Boeotiae partem quin data opera perquisiverit, controversia esse non possit.

Orchomenum spectatam ex IX. c. 16 temere concludunt [6]),

---

[1]) Heyse, l. c. p. 124. — Rawlinson, l. c. I. p. 11.

[2]) Rh. M. N. F. II. p. 547. Non est «Urlichs», ut scribit Steinius ad VIII. c. 32. [3]) Sul. 15. [4]) adde I. cc. 52. 92.

[5]) Erythras, Hysias, Cithaeronem, Gargaphiam, Moloentem, fana Iunonis, Cereris, Androcratis, Argiopium, alia, cf. IX. cc. 25. 49. 51. 52. 57.

[6]) Heyse, l. c. p. 123. — Baehr, l. c. p. 430.

tanquam cives Orchomenii angustos patriae fines nunquam exierint (« *τὰ ἐπίλοιπα ἤκουον Θερσάνδρου ἀνδρὸς μὲν Ὀρχομενίου κτλ.* », et infra « *ταῦτα μὲν Ὀρχομενίου Θερσάνδρου ἤκουον κτλ.* »).

De Delio VI. c. 118 nihil docet.

Ptoi Apollinis oraculi, situm bene novit VIII. c. 135: « *τοῦτο δὲ τὸ ἱρὸν καλέεται μὲν Πτῷον, ἔστι δὲ Θηβαίων, κέεται δὲ ὑπὲρ τῆς Κωπαΐδος λίμνης πρὸς ὄρεϊ ἀγχοτάτω Ἀκραιφίης πόλιος* ». Sed cum Thebanorum sese fide niti paullo supra diserte profiteatur « *τότε δὲ θῶυμά μοι μέγιστον γενέσθαι λέγεται ὑπὸ Θηβαίων* », rem in medio relinquere praestat.

Iter a Decelea ad agrum Thebanum a Mardonio confectum distinctius enarratur IX. c. 15: praeteritae sunt Sphendaleae, Tanagra, Scolus. Qua via Herodotum usum esse Heysius [1]) coniecit et coniecit fortasse recte.

§ 5. Athenis [2]) commoratus est; Atticae compluria loca [3]) memorat, etsi certa spectationis indicia desiderantur.

Ultra Atticam Persae progressi non sunt. — Jam eis quae modo absolvimus iterum perlustratis ipse iudices velim, quantum sibi sumpserit Matzatius dicens [4]): « Es lässt sich nachweisen, dass Herodot auf europaeischem Boden die Route des Xerxes Schritt für Schritt verfolgt hat. »

CAP. V.

De Peloponneso.

§ 1. De Corintho non liquet; argumentorum quae proferunter pleraque pro cassis habeo.

Corinthios ubique Graeciae crebros fuisse convenit; ergo mittas testes Corinthios (I. cc. 23. 24. VIII. c. 94).

De verbis VIII. c. 121. « *ἥπερ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν* » supra satis opinor disputavimus.

IX. c. 81. scit aeneum Neptuni simulacrum in Isthmo collocatum septem cubitorum in altitudine esse. Ne hoc quidem nimis presserim eorum memor, quae de mensuris numerisque superiore loco docuimus. Paulo iustius huc re-

---

[1]) l. c. p. 123. [2]) V. cc. 77. 89. alibi.

[3]) I. c. 60. II. c. 7. IV. c. 99. V. cc. 62. 63. 74. 77. 89. VI. cc. 87. 102. 103. VII. c. 144. VIII. cc. 52. 53. 55. 65. 76. 96. 107. IX. c. 7. Alibi alia passim inveniuntur, quae singillatim proponere non attinet.

[4]) l. p. 406.

ferunt V. c. 87: *ἐφόρεον γὰρ δὴ πρὸ τοῦ αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐσθῆτα Δωρίδα, τῇ Κορινθίῃ παραπλησιωτάτην».* Potest tamen, ut Corinthiarum vestitum Athenis Herodotus alibive noscitaverit aut cum de pristino mulierum Atheniensium vestitu certior fieret, comparationem simul acceperit. Sed, quod meo quidem iudicio plus valet, vestimentorum quaedam genera Corinthi confecta indeque exportata videntur esse [1]. Et profecto ratio flagitat, ut quidquid exemplis illustrare cupias, eius generis exempla eligas, qualia aut omnibus aut plurimis lectorum nota sint.

§ 2. Sicyonem num viserit scriptor aeque nescimus. Est sane de rebus Sicyoniorum probe edoctus; indicia tamen paullo luculentiora frustra quaeruntur. Verbis V. c. 67 *«ἡρώιον γὰρ ἦν καὶ ἔστι ἐν αὐτῇ τῇ ἀγορῇ τῶν Σικυωνίων Ἀδρήστου τοῦ Ταλαοῦ κτλ.»* aliam vim non tribuerim, nisi rem e memoria Sicyoniorum petitam quasi ipsius scriptoris scientia confirmari, quam scientiam unde nactus sit, a nostra cognitione procul est. In exemplis, quae adferri possunt, his: I. c. 167 *« ἡ δὲ Πυθίη σφέας ἐκέλευσε ποιέειν τὰ καὶ νῦν οἱ Ἀγυλλαῖοι ἔτι ἐπιτελέουσι.»* II. c. 113 *«ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἠιόνος, τὸ καὶ νῦν ἐστι, Ἡρακλέος ἱρόν κτλ.»* III. c. 48 *«ἐποιήσαντο οἱ Σάμιοι ὁρτήν, τῇ καὶ νῦν ἔτι χρέωνται κατὰ ταὐτά.»* VII. c. 179 *«Δελφοὶ μέν νυν κατὰ τὸ χρηστήριον ἔτι καὶ νῦν τοὺς ἀνέμους ἱλάσκονται.»* VIII. c. 33 *«ἦν δὲ καὶ τότε καὶ νῦν ἔτι χρηστήριον αὐτόθι»* (Abas intellege), subsidii nihil video. Fuit Herodotus Sami Delphisque; de Agylla, Canopo, Abis nihil constat; formulas autem *»καὶ νῦν ἔτι»* et similes arcana quadam et recondita significatione eaque, qua spectatio scientibus palam fiat, instructas esse quis credet?

§ 3. Achaiae notitiam quamvis plenam prae se ferat, nihil me advertit, quo fretus suffragium ferre ausim. Enumeratio urbium, quam instituit I. c. 145, nullius momenti est; apud Aegas Crathin, iugis aquae rivum, in agro Olenio Pirum, magnum amnem fluere, etiam auditione accipere potuit [2].

§ 4. In Elide Olympiam vidit (VII. c. 170. IX. c. 81), quo stabilito Eleos, quorum auctoritate utitur IV. c. 30, in Elide interrogatos largiamur. Unde Olympiam profectus sit nescimus; quae sunt in l. II. c. 7 *«ἔστι δὲ ὁδὸς ἐς τὴν Ἡλίου πόλιν ἀπὸ θαλάσσης ἄνω ἰόντι παραπλησίη τὸ μῆκος τῇ ἐξ*

---

[1]) Democrit. Ephes. apud Athen. XII. p. 525. D. Machon ibid. XIII. p. 582. D.; cf. Barth, de Corinthiorum commercio et mercatura p. 21 sqq.

[2]) De Crathi in Italia fortasse certior factus est, ubi eiusdem nominis rivus a Sybari et Thuriis prope abfuit cf. I. c. 45 et V. c. 45.

Ἀϑηνέων ὁδῷ τῇ ἀπὸ τῶν δυώδεκα ϑεῶν τοῦ βωμοῦ φερούσῃ ἔς τε Πίσαν καὶ ἐπὶ τὸν νηὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου» Athenis quin didicerit non dubito; legit fortasse in ipsa illa duodecim deorum ara [1]). Neque igitur hoc iter confectum Herodoto suspicari debebant. [2])

§ 5. Triphyliam aditam ex IV. c. 148 *«τούτων δὲ τὰς πλεῦνας ἐπ ἐμέο Ἠλεῖοι ἐπόρϑησαν»* conicere dubito. Quid enim allicere potuit ad visenda oppida partim exigua partim diruta? de formula *«ἐπ' ἐμέο»* v. p. 16.

§ 6. In Arcadia Tegeam invisit (IX. c. 70 *«πρῶτοι δὲ ἐσῆλϑον Τεγεῆται ἐς τὸ τεῖχος, καὶ τὴν σκηνὴν τὴν Μαρδονίου οὗτοι ἦσαν οἱ διαρπάσαντες, τά τε ἄλλα ἐξ αὐτῆς καὶ τὴν φάτνην τῶν ἵππων ἐοῦσαν χαλκέην πᾶσαν καὶ ϑέης ἀξίην. τὴν μέν νυν φάτνην ταύτην τὴν Μαρδονίου ἀνέϑεσαν ἐς τὸν νηὸν τῆς Ἀλέης Ἀϑηναίης Τεγεῆται κτλ.»* coll. I. c. 66 *«αἱ δὲ πέδαι αὗται, ἐν τῇσι ἐδεδέατο, ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν σῶαι ἐν Τεγέῃ, περὶ τὸν νηὸν τῆς Ἀλέης Ἀϑηναίης κρεμάμεναι.»*) et Nonacrin (VI. c. 74 *«ἐν δὲ ταύτῃ τῇ πόλι λέγεται εἶναι τῶν Ἀρκάδων τὸ Στυγὸς ὕδωρ, καὶ δὴ καὶ ἔστι. τοιόνδε τι. ὕδωρ ὀλίγον φαινόμενον ἐκ πέτρης στάζει ἐς ἄγκος, τὸ δὲ ἄγκος αἱμασιῆς τις περιϑέει κύκλος.»*), neque opus est VI. c. 127 *«ὡς λόγος ἐν Ἀρκαδίῃ λέγεται»* aut VI. c. 74 *«λέγεται . . . . ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων»* ad percontationem extra Arcadiam institutam referre.

§ 7. Spartae eum fuisse constat ex III. c. 55, ubi Archiam Spartiatam Pitanae [3]), in tribu eius convenisse se testatnr. Itaque Therapnas (cf. VI. c. 61 *« . . . . τὸ τῆς Ἑλένης ἱρόν. τὸ δ' ἐστὶ ἐν τῇ Θεράπνῃ καλεομένῃ ὕπερϑε τοῦ Φοιβηίου ἱροῦ»*) Taenarum cum aeneo Arionis signo (I. c. 24), Thornacem (I. c. 69) facillime spectare potuit.

§ 8. Jam de Argolide disputaturi ante omnia procul arceamus locum, quem iniuria acciverunt, hunc: *«Ἀργείων μέν νυν καὶ Αἰγινητέων αἱ γυναῖκες ἐκ τόσου κατ' ἔριν τὴν Ἀϑηναίων περόνας ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἐφόρεον μέζονας ἢ πρὸ τοῦ κτλ.»* (V. c. 89) Quid enim? Num videre potuit Herodotus, mulieres Argivas antea minoribus fibulis usas esse? Sane quidem si dixisset fibulis Argivas sua aetate uti Atheniensium fibulis maiori-

---

[1]) cf. E. Curtius, Zur Gesch. d. Wegebaus bei den Griechen (Abh. d. Berl. Akad. phil. hist. Cl. 1854, 1 p. 247).

[2]) Heysius, l. c. p. 121, cum asseclis.

[3]) Hanc mire Heysius, l. c. p. 89 cum Aeolica eiusdem nominis urbe, cuius mentio fit I. c. 149, confundit.

bus [1]) haberemus saltem, quod saperet oculis edoctum, cum morem suo tempore durantem mori comparans iam pridem abolito nihil si quid video praebeat nisi indicium percontationis. Dixerit quispiam priorum fibularum exemplum monstratum esse Herodoto: quarum num quae reliquae tunc fuerint nescio, certe inter donaria Damiae et Auxesiae deabus oblata cerni non poterant, utpote quibus mutatae demum mensurae fibulas dedicare consueverint Argivae (v. Vc. 88).

IV. c. 152 craterum Argolicorum mentio ita inicitur, ut visos esse Herodoto appareat. Quos plurimis Graecorum aeque cognitos fuisse non minus consentaneum videtur, cum nemini prosit, ignotam rem cum re conferri non minus ignota. Peccavit igitur Matzatius eo, quod ex commemoratis Lesbiorum vasis (IV. c. 61) documentum cepit [2]) et peccavit bifariam, cum commercium Lesbiorum artesque circumspicere gravaretur. Scimus enim Lesbios metallorum fabricae operatos esse [3]). Eadem arte Argivos floruisse compluribus diversornm temporum testimoniis evincitur. Exstat enim apud Athenaeum [4]) fragmentum aliquod Antiphanis, in quo inter diversa singularum regionum «ἰδιώματα» laudatur «ἐξ Ἄργους λέβης» Praeterea Pindarus in hyporchemate [5]) «ὅπλα δ᾽ ἀπ᾽ Ἄργους» commemoravit, clypeorum Pollux [6]), Aelianus [7]), Dionysius Halicarnassensis [8]), Plutarchus [9]), statuarum Pausanias [10]) mentionem faciunt.

Quae sunt apud Athenaeum (XI. p. 480 C.) «κύλικες Ἀργεῖαι» cautius hic omittuntur, utpote quarum de materie non satis conveniat [11]).

Docemur hisce testimoniis Argivos aerariae artis nunquam expertes fuisse.

Herodotus autem quidni extra Argolidem hosce crateres, advecticios dico, cognoscere potuerit.

Tertius locus non plus valet hic [12]): «ἐπείτε δὲ Σπαρτιήτας

---

[1]) Tale quid nescio an Muellero visum sit adnotanti (Aegineticorum liber p. 80), mulieres Argivas Aeginetasque pristinam fibularum formam eamque maiorem conservavisse, cum Corinthiae, Syracusanae, Athenienses mulieres elegantiores fibulas pluresque adhiberent; quod quomodo cum perspicuo Herodoti testimonio (v. V. c. 87. fin. et V. c. 89 init.) concordet adhuc dubito.

[2]) l. c. p. 411.

[3]) cf. Büchsenschütz, die Hauptstätten des Gewerbfleisses im kl. Alterthume (Preisschr. d. Jablon. Ges. 1869. p. 40 sq.). — Blümner, die gewerbliche Thätigkeit der Völker des kl. Alterthums (ibid. p. 45).

[4]) I. p. 27 D.

[5]) fr. 73 (apud Athen. I. p. 28 A.).

[6]) I. 194. [7]) v. h. III. 24. [8]) ant. Rom. I. 21.

[9]) Rom. 21. [10]) VII. 23. 10.

[11]) cf. Blümner l. c. p. 78 adn. 4. [12]) VI. c. 76.

ἄγων ἀπίκετο ἐπὶ ποταμὸν Ἐρασῖνον, ὃς λέγεται ῥέειν ἐκ τῆς Στυμφαλίδος λίμνης. τὴν γὰρ δὴ λίμνην ταύτην ἐς χάσμα ἀφανὲς ἐκδιδοῦσαν ἀναφαίνεσθαι ἐν Ἄργεϊ, τὸ ἐνθεῦτεν δὲ τὸ ὕδωρ ἤδη τοῦτο ὑπ' Ἀργείων Ἐρασῖνον καλέεσθαι» quae verba ut concesserim non satis plane nec sine omni ambiguitate dicta esse, ita reor conexu ductus intellegenda, Erasinum, quem vocent Argivi, non tam fluvium esse, quam effluvium lacus Stymphalidis. Quod nec favet itineri statuendo nec officit.

Epidauri fuerit Herodotus necne ignoratur: mysteriorum quam prodit V. c. 83 notitiam per me licet ab Epidaurio nescio quo acceperit, dumne Epidaurios haesisse in paternis ruribus opineris.

CAP. VI.

De Acarnania, Epiro, Illyria.

§ 1. Cum Acheloi alluvionem ad illustrandam similem Nili vim ac naturam adhibeat [1]) Herodotus ceterosque, quos addit fluvios, Scamandrum cum Simoente, Caicum, Caystrum, Maeandrum adiisse existimandus sit, non inepte de Acheloo idem iudicant. [2]) Attamen considerantes nec dubitationem habere, quin vis Acheloi ostiique alluviones late longeque cognitae fuerint, nec probabilitate commendari, rem tam multis haud dubie et nautis et mercatoribus visam nisi tanquam in re praesenti comperiri non potuisse, in ambigendo perseverabimus.

§ 2. Epiri Dodonam se commeavisse ipse solito disertior testis est II. c. 52 «*ὡς ἐγὼ ἐν Δωδώνῃ οἶδα ἀκούσας κτλ.*» coll. c. 53 et c. 55. Praeterea nihil exploratum habemus.

§ 3. Si recte iudicat Heysius [3]), Apolloniam, in celeberrimam Illyriae urbem, iter Herdotus contulit. Nititur vir doctus loco l. IX. c. 93 hoc: «*ἔστι ἐν τῇ Ἀπολλωνίῃ ταύτῃ ἱρὰ ἡλίου πρόβατα, τὰ τὰς μὲν ἡμέρας βόσκεται παρὰ ποταμόν, ὃς ἐκ Λάκμονος ὄρεος ῥέει διὰ τῆς Ἀπολλωνίης χώρης ἐς θάλασσαν παρ' Ὤρικον λιμένα κτλ.*», quae verba aliquam labem contraxisse videntur. Fluvium intellegebant Wesselingio duce Aoum seu Aeantem neque offensioni cuiquam fuit, Aoum testium veterum [4]) pro-

---

[1]) II. c. 10. [2]) v. Matzat, l. c. p. 407 sqq. [3]) l. c. p. 138.

[4]) Hecat. ap. Strab. p. 271: «*τὸν δὲ Αἴαντα εἰς Ἀπολλωνίαν πρὸς δύσιν ῥέειν*» coll. p. 486. — Scyl. 26. »*ποταμὸς Αἴας παραρρεῖ τὴν πόλιν (Ἀπολλωνίαν)*. — Polyb. V. 110: «*τὸν Ἀῷον ποταμὸν ὃς ῥεῖ παρὰ τὴν τῶν Ἀπολλωνιατῶν πολιν*». — Strab. p. 316: «*ὁ Ἄωος, ἐφ' ᾧ Ἀπολλωνία . . . τοῦ ποταμοῦ μὲν ἀπέχουσα σταδίους δέκα*». — Mela II. 19, 163: «Aeas secundum Apolloniam etc.»

pemodum consensu proximae Apolloniae vicinitati adscribi, nisi quod apud unum Cononem [1]) per mediam urbem fluens mari inlabitur. Contra Oricus in intimo recessu sinus satis ampli posita, ab Aoo Apolloniaque non ita brevi spatio distabat; eos autem fluvios vel potius rivos — nam exigui sunt —, qui apud Oricum effluvia habent, ex Lacmone haudquaquam oriri geographorum testificantur tabulae.

Quibus a Poppone [2]) acute observatis nova dubitationum momenta adiecit Steinius. Hic in ea commentatione, quae «Vindiciarum Herodotearum specimen [3])» inscribitur, et quibus urgeretur scrupulis exposuit et reficiendo loco operam navavit. Coniecturae ibi propositae partem ipse nunc aspernatus diversae emendationi patrocinatur, quam quasi certam ac firmissime consolidatam pensi nihil habuit quin in utriusque editionis textum reciperet. Expedit, ut priorem nunc posterioremque coniecturam quam fieri poterit brevissime pensitemus, quam eo minus operam gravor, cum nullus adhuc, quod sciam, vir doctus litem Steinio intenderit [4]).

His argumentis auctor Vindiciarum utitur: Tria esse, quae male habeant in textu ad librorum fidem constituto: offendi primum in errore illo geographico, exin latere, cur nomen fluvii reticuerit Herodotus. Cuius reticentiae causam quod neque inventam adhuc neque quaesitam dicit, habet me plane adsentientem, quam causam num reperiri omnino non posse pari iure sibi persuaserit dubito; sed hoc ad inferiorem locum relegare satius est.

Tertia Steinio causa inde fluxit, quod *«διὰ τῆς Ἀπολλωνίης χώρης»* contra sermonis Graeci legem dictum putat, qua *«διὰ τῆς Ἀπολλωνιήτιδος χώρης»* efflagitari. Hanc tamen emendandi viam, quam ingressus est Laurentius Valla, Steinius dedignatur, potiorem sibi indagatam ratus duce Theognosto, noni post Christum saeculi grammatico, cuius in libro orthographico, *«κανόνες»* inscripto, haec exstant [5]): *«τὰ εἰς ων μονοσύλλαβα ἐπὶ ἀρσενικοῦ ἢ θηλυκοῦ γένους διὰ τοῦ ω μεγάλου γράφει τὴν παραλήγουσαν τῆς γενικῆς. οἷον κλὼν κλωνός, πρὼν πρωνός, χὼν χωνός, ὄνομα ποταμοῦ, ἐξ οὗ καὶ ἡ Ἤπειρος Χωνία παρὰ Ἡροδότῳ.»* Sic igitur Steinius

---

[1]) Cono, narr. 30 (Photii bibl. cod. 186): *«καὶ ἡ Ἀπολλωνία πόλις Ἑλλάς ἐστιν ἐν τῇ Ἰλλυριῶν γῇ, κεῖται δὲ ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ ποταμὸς Λῶος* (l. *Ἀῶος*) *διὰ μέσης αὐτῆς ῥέων εἰς τὸ Ἰόνιον ἐκβάλλει πέλαγος»*.

[2]) v. Ed. Thucyd. I. 2. p. 129.

[3]) p. 14 sqq.

[4]) Baehrius ad. h. l. audaciam coniecturae reformidat, Abichtius (Philol. XXI. p. 97) probabilitatem negat.

[5]) Ed. Cramer (Anecd. Oxon. II. p. 133, 31).

textum Herodoteum immutari iubet, ut lectio efficiatur haec: »*παρὰ Χῶνα ποταμὸν ὃς ἐκ Λάκμονος οὔρεος ῥέει διὰ τῆς Χωνίης χώρης ἐς Ὤρικον λιμένα.*» *Χωνίαν* eandem esse ac quae ceteris *Χαονία* audiebat, nemo infitias ibit; aeque largiamur et Oricum ad Chaoniam pertinuisse et Chaoniam quibusdam certe temporibus fuisse in ditione Apolloniatarum. Ne hoc quidem nego, eum esse coniecturae splendorem, quo facile oculi cuiuspiam praestringi possint; neque tamen pauca contra suadere videntur.

Concesso Steinium iure usum a grammatico auxilium petivisse adsentior; sed fidem testis sui vel potius, cum eius aetatis grammatici in compilandis antiquiorum scriniis toti versarentur, fontem Theognosti circumspicere debebat. Scimus Lentzii studiis [1]), Theognostum excerpsisse Herodiani «prosodiam catholicam»; cui igitur dubitationem non movebit, apud Herodianum in libro «*περὶ μονήρους λέξεως*» altero nihil exstare, nisi «*Χών, τὸ ἐθνικόν*» [2])? An consequens videtur, Herodianum eodem vocabulo bis adscripto, altero loco hanc significationem praetulisse, altero illam? Memorabilis esset discrepantia! Excerpsit eundem Herodianum Choeroboscus [3]); habet ille quidem nomen «*Χὼν Χωνός* [4])»; de fluvio tacet; pendet ex eodem Stephanus Byzantius [5]) et adfert urbem *Χώνην* et *Χωνίαν* [6]) terram, nescit fluvium. His inter se comparatis elucet, Chonem illum Theognosti Herodianea auctoritate non commendari. Theognostus igitur in Herodiano suo non videtur acquievisse, sed alium insuper fontem consuluisse [7]), qui non sequitur ilico ut nugatorius fuerit; sed Herodianum, virum variae doctrinae copia unice adfluentem, rivus ille, nisi commenticius est, fugere vix potuit. Reputantes Choerobosci, Stephani Byzantii, Herodiani inprimis silentium, in verba Theognosti certe non iurabimus. Sed ponamus, grammaticum salvae fidei esse; mihi non unus scrupulus residet. *Χών* enim ille ubi fluxerit, in tenebris iacet. Qui cum apud solum Theognostum commemoretur, videat Steinius, ne nimia eum audacia apud Oricum effundi iubeat. Duos autem in confinio Orici rivos mapparum geographicarum auctores pingunt, alterum Celydnum [8]) appellatum, alterius nomen indagare non potui. Hic igitur Chonis cognomento

---

[1]) Lentz, Herodiani technici reliquiae I. p. CLXXX.
[2]) l. c. II. p. 937, 37.
[3]) v. Lentz, l. c. I. p. CLXXXV.
[4]) l. c. II. p. 720, 37.
[5]) v. Lentz, l. c. I. p. CXXXVI.
[6]) p. 699 Mein.
[7]) Quae cum ita sint, dubito num iure Lentzius (l. c. p. 395, 18), testimonium Theognosti Herodianeis inseruerit.
[8]) Ptolem. geogr. III. 13, 5. «*Κελύδνου ποταμοῦ ἐκβολαί.*»

instruendus — locupletabimus tabulas rivo adhuc incognito, si quidem Steinio morem gerimus.

Satis inique grammaticum suum ipse Steinius tractat. Quis enim Epirum, spatiosam terram, a parvulo rivo nomen traxisse credet? Steinius nimirum Choniam ab Herodoto appellari opinatur populi a Cerauniis montibus meridiem versus colentis sedes, sed testem suum neglegentiae crimine onerat Epirum Herodoto Choniam fuisse memorantem.

Adicio, quod ipse Steinius sua sponte confitetur, commodum mutatione ista comparari paene nullum. Immo versura solvit, cum sublato eo errore, quo Aoi ostium ad Oricum transferri videbatur, novum suo arbitrio induxerit confusis Chonis cum Aoi fontibus.

Argumentum ex interpretatione Theognosti adsciscendum infra aptius examinabitur. —

Steinius — quod supra diximus — ab invento suo nuper recessit, ita quidem, ut in critica editione et in editionis commentariis instructae cura tertia textum refingeret sic: «. . . . . . *παρὰ Χῶνα ποταμὸν ὃς ἐκ Λάκμονος ὄρεος ῥέει διὰ τῆς Ἀπολλωνίης χώρης ἐς θάλασσαν παρ' Ὤρικον λιμένα κτλ.*»; infra textum addit: «*Χῶνα* fehlt in den Hss.; ergänzt aus Theognost. Kanon. 794 *Χὼν Χωνὸς ὄνομα ποταμοῦ, ἐξ οὗ καὶ ἡ Ἤπειρος Χωνία, παρὰ Ηροδότῳ.*» — Der bei Orikos mündende kleine Fluß hat seine Quellen nicht so weit ostwärts, daß sie auf dem Lakmon entspringen könnten. Er ist mit dem Aoos oder Aeas verwechselt, der aber bei Apollonia selber ausströmt (Strab. 271 u. A.). *Χώρης* ist wohl nur ein späterer Zusatz.»

Hac coniectura partim se ad rectam viam reflexit, partim inde etiam magis quam in priore aberravit. Verba Theognosti ita, ut a Steinio nunc mutata sententia intelleguntur, intellegi posse non nego, nego debere. Quidni grammaticus nomen *Χῶνα* exstare apud Herodotum, non exstare *Χωνίαν* significaturus sic scripserit, ut ratio postulat et intellectus, sic dico: « . . . . . . *ὄνομα ποταμοῦ παρὰ Ἡροδότῳ, ἐξ οὗ καὶ κτλ.*?» Verba, ut tradita sunt, triplicem explicationem non recusant: aut utrumque vocabulum apud Herodotum inveniri, quod licet Steinius in Vindiciis tutatus sit, ego minime commendatum puto, aut Chonis nomen Herodoti esse, non esse Choniam, ut nunc Steinio videtur, aut Epirum Choniam ab Herodoto nuncupari, quae ratio, si quid video, verborum collocationi praeter ceteras convenit. Quo concesso mutatio Steinii, quod aiunt, in aëre pendet.

Ceterum, quae contra priorem scripturam adtulimus, eadem fere omnia in hanc cadunt: lucramur nihil, error mutatur, non

tollitur, rivus Steinii commenticius ut illius sic huius conaminis fidem sublevat. Quin etiam novus scrupulus accedit, cum Apolloniam, qui sunt gravissimi testes, ab Aoo prope abfuisse consentiant: hoc praeter Scylacem et Melam Polybius auctoritate sua tuetur, cui Strabo spatium inter urbem et Aoum interiectum ad X stadia indicans suffragatur [1]. His, quorum prae auctoritate plurimi geographorum nullo in numero putandi sunt, Cononem istum compilatorem Steinius potiorem habuisse videtur.

Nam cum «χώρης» expungi iubeat et satis habeat iussisse, in nullam prius coniecturam incidemus, quam Cononi eum, Aoum per mediam urbem fluere testificanti, aurem praebuisse. Quod procul abest ut Steinio imputem, sed sanam interpretationem uno saltem verbo monstrare profuit.

Iam nisi praeiudicata opinione excaecatus ad Herodoteum textum accesseris, duo tantum in verbis traditis dubitationibus obnoxia esse fatebere: alteram offensam et contineri genetivo «χώρης» et sublato simul tolli, alteram omisso fluvii nomine effici. «Χώρης» deest in codice Veneto (𝔟); hanc si apprehenderis ansam, meo iudicio egregie omnia current. Nam ut stribliginem illam «*διὰ τῆς Ἀπολλωνίης χώρης*» Herodoteo candore dignam existimem, condocefacere animum meum non possum.

Restat ut errorem pensitemus. Cuius sane absolvere scriptorem neutiquam licebit; quis tamen leviusculum errorem capitalis noxae habebit? Steinio scribenti [2]: «nec enim aut Herodotei est moris aut quicumque diligentius in rebus enarrandis versari consueverit, ut eius ipsius rei, quam accurate descripserit, nomen omittat: quod quam sit lectoris intellectui periculosum vel hoc ipso exemplo demonstratur, quo hominem ingentis doctrinae turpi lapsum errore vidimus» nemo erit, quin subscribat [3]. Quid autem, si ipsi scriptori nomen fluvii exploratum non fuerit aut certe exciderit memoria? Plena frui Herodotum scientia nemo contendet; neque magis videtur consentaneum, historiae parentem erroribus plane non obnoxium fuisse, quibus nos vexamur vilioris qui sumus farinae homines. Et commodat ipse exemplum haud absimile VIII. c. 138: «*ποταμὸς δέ ἐστι ἐν τῇ χώρῃ ταύτῃ, τῷ θύουσι οἱ τούτων*

[1]) Reliquias Apolloniae spectavit Leake Trav. in North. Greece I. p. 368 sqq.

[2]) l. c. p. 14 sq.

[3]) Quanquam Wesselingii Aoum intellegentis lapsum tam turpem esse non dixerim, cum praesertim Aoum Chonemque confundi ne Steinius quidem neget.

τῶν ἀνδρῶν ἀπ᾽ Ἄργεος ἀπόγονοι σωτῆρι κτλ.» nomine fluvii hic quoque omisso.

Iam addamus oportet, quod et Steinium praeteriit et ceteros, nisi fallor, omnes. Nonne cogitari potest, scriptorem et fontem fluvii et ostium verbosius significavisse, quia nomine eum certius et distinctius ponere non potuerit? Attende nexum! Enarratur expeditio Leotychidae; Deïphono, Euenii Apolloniatae filio, memorato, digrediendi incidit facultas. Interrupto igitur ordine rerum singularis Euenii fortuna prolixius exponitur. Quid autem fluvii illius aut fons aut ostium commodi inferunt? Non est profecto contra morem Herodoti, talia curare, sed aeque concedes, hoc ea loco nullo negotio desiderari. Si legeretur nomen, ne cetera quidem mirarer: cum desit nomen, non absurde suspicabimur, et fontem et ostium ideo significari, ut nominis quasi vice fungantur. Ne hoc quidem inficete conieceris, Herodotum, dummodo extremam operi manum imponere fatum concessisset, errorem interim commissum ad testium peritiorum fidem emendaturum fuisse. Ergo in nominis omissione ne nimium haesites.

Supra dixi mea sententia «*χώρης*» cum Veneto (𝔡) expungendum esse; quae superant «*διὰ τῆς Ἀπολλωνίης*» minime ita interpretor, ut Cononi obtemperans amnem per mediam urbem fluxisse ponam — quis enim Cononem Polybio, Scylaci, Straboni, Melae antehabebit —, sed ut Herod. VII. c. 126 «*ὅ τε δι᾽ Ἀβδήρων ῥέων ποταμὸς Νέστος*» non is est Nestus, qui urbem perfluat — confer enim Mel. II. 30: «ultra (Abderam) Nestus fluit»; Paus. VI. 5, 3: «*Νέστου ποταμοῦ τοῦ ῥέοντος διὰ τῆς Ἀβδηριτῶν*» —, sed urbis nomen ampliore sensu dictum universum civitatis agrum complectitur, sic hoc loco «*διὰ τῆς Ἀπολλωνίης*» idem valet, quod «per fines Apolloniatarum». Steinius ad VII. c. 126 apte comparat: I. c. 14: «*ἐσέβαλε μέν νυν στρατιὴν καὶ οὗτος, ἐπείτε ἦρξε, ἔς τε Μίλητον καὶ ἐς Σμύρνην*; I. c. 15: «*οὗτος δὲ Πριηνέας τε εἷλε ἐς Μίλητόν τε ἐσέβαλε κτλ.*»

Hoc statuto et optimae fidei testibus et legibus sermonis Graeci perinde satisfit ac simul Cononis tenebris clarissima lux adfulget. Legit ille «*διὰ τῆς Ἀπολλωνίης*»; hoc ad verbum interpretatus ipsam urbem amne scindi putabat [1]).

«*χώρης*» postea ab homine Strabonis fortasse ceterorumve memori adscriptum videtur cauturo, ne quem brevitas Herodotea frustra haberet.

---

[1]) Et is est color totius narrationis, ut fontem Cononis Herodotum fuisse appareat.

Proinde mittamus Theognostum et illum quidem sine ulla cunctatione, utpote cuius auxilio haud aegre supersedeamus.

Pravum in fontem inciderit grammaticus docti Herodiani ceteroqui pedisequus an errorem ipse potius commiserit an nomen alius scriptoris librarii culpa in Herodotum abierit, ut cuique libitum diiudicetur. Crameri, qui Herodori nomen reponere vult, coniecturam perquam incertam esse, recte Steinius exposuit. Nos considerantes, quam saepe apud recentioris aevi scriptores Herodoti, Herodori, Herodiani invicem se nomina extruserint[1]), hac ex parte laborare grammatici canonem non contra probabilitatem suspicabimur. Sic Stephanus Byzantius s. v. *Ἀλάβαστρα* urbem quasi commemoratam ab Herodoto adfert, quae nusquam commemoratur, et ipse quoque Herodianus[2]) memoria falsus Xoin urbem tanquam ex Herodoto citat.

Ergo lectionem: «... *παρὰ ποταμόν, ὃς ἐκ Λάκμονος ὄρεος ῥέει διὰ τῆς Ἀπολλωνίης ἐς θάλασσαν παρ' Ὤρικον λιμένα κτλ.*» tutatus Heysiana de opinione iam dixi iudicium. Nam si tam parva est et manca scriptoris notitia, ut ne primarium quidem eius terrae amnem ab Oricini agri rivulis internoscat, hinc spectationem statuere minime licet.

CAP. VII.

De insulis.

§ 1. Visit Herodotus Thasum (II. c. 44. VI. c. 47), Samothracen (II. c. 51), Delum (II. c. 170. IV. c. 33 sqq. VI. c. 98), Zacynthum (IV. c. 195). Euboeae Artemisium et vicina cum Sciatho insula VII. cc. 175—177 alibi ita describit, ut qui spectata litteris mandat. Aliis locis quotquot Euboeae aut oppida aut regiones commemorat[3]), *αὐτοψίαν* nihil evincit.

§ 2. De Salamine aeque ac de Artemisio Plataeisque convenit: non potuit enarrare pugnam ut enarrat[4]), nisi locorum, h. e. cum freti, quod Atticam et Salaminem insulam interluit, tum littorum naturam oculis observavisset. Memorat praeterea Psyttaleam, Ceum, Cynosuram VIII. cc. 76 sq. 95.

[1]) cf. Indicem ad Steph. Byzant. ed Meineke s. vv. Herodotus, Herodorus, Herodianus. — Ritschl, de Oro et Orione, opusc. I. p. 647. Lentz, l. c. I. p. X.

[2]) II. p. 91, 12 apud Lentzium.

[3]) cf. I. 61. IV. cc. 33. 101. VI. cc. 101. 108. VIII. cc. 7. 13. 23. VII. c. 182. IX. c. 105.

[4]) v. inprimis VIII. cc. 76. 90.

§. 3. Cretae insulae quod Praesios VII. c. 171 testes excitat, ad disceptationem penitus dirimendam non sufficit; puto et ipse, non adeo Praesiorum viguisse navigationem, quos ubique conveniendi opportunitas abundaret; sed lubricum tale est iudicium ludibrioque casus obnoxium.

Narrationis l. III. capitibus 44—59 comprehensae fontem suspicor fuisse Samium: certe fanorum in urbe Cydonia a Samiis conditorum[1]) nescio quis potius quam ipsi conditores memoriam servaverit. Sami Herodotum degisse traditum est[2]).

§ 4. Siphnum quae spectant III. c. 57 non dubito quin indidem effluxerint, unde totum l. III. cc. 57—60 argumentum. Spectationis indicia non deprehendo.

§ 5. Parum scriptori visam Heysius[3]) propterea statuit, quia et Parios auctores habeat et color l. VI. c. 134 oculis edoctum prodat. Non adstipulor. Immo aliquam ad probabilitatem provecturo exordiendum esse a verbis «*τὸν δὲ διερχόμενον ἐπὶ τὸν κολωνὸν κτλ.*» supra fusius exposuimus.[4])

§ 6. De Thera IV. c. 147 sqq. nihil plane demonstrant. Testes adhibentur praeter Lacedaemonios Cyrenaeosque Theraei, qui non dubito quin cum reliquam Graeciam tum Cyrenen, ubi fuit Herodotus, frequentaverint.[5])

§ 7. Docemur I. c. 105 Veneris in Cythera insula fanum a Phoenicibus conditum esse, quod non tantum valet, quo coniecturam fulciamus.[6]) Quae sunt in I. c. 82 et VII. c. 235 etiam minus huc pertinent. Memineris autem Cythereos sedulos fuisse mercatores.[7])

§ 8. De Aegina haud secus iudico.

Aeginetas testium vicem hic illic obtinentes (cf. V. cc. 86. 87. VIII. c. 84) valere iubebimus, quos nullum Graeciae portum non adiisse conveniat.[8]) Eadem confidentia abiciendum esse V. c. 89 supra[9]) apparuit. Superest V. c. 83: «*καὶ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα ταῦτα τῆς τε Δαμίης καὶ τῆς Αὐξησίης ὑπαιρέονται αὐτῶν, καί σφεα ἐκόμισάν τε καὶ ἱδρύσαντο τῆς σφετέρης χώρης*

---

[1]) III. c. 59, cui loco alienae manus vestigia impressa esse et ipse sentio. Quidquid videbitur, praestat verba «*καὶ τὸν τῆς Δικτύνης νηόν*» cum Steinio uncinis saepire.

[2]) Suid s. v. *Ἡρόδοτος*.

[3]) l. c. p. 119. [4]) p. 21 sq.

[5]) Accuratiora de commercio artibusve Theraeorum nescimus, nisi picta ab eis vestimenta fabricata esse; cf. Blümner, l. c. p. 96.

[6]) Sufficere videtur Heysio, l. c. p. 119; Baehrio, l. c. IV. p. 430; Rawlinsono, l. c. I. p. 11.

[7]) Thuc. IV. c. 53.

[8]) cf. Mueller, Aegin. lib. p. 74 sqq.; Hüllmann, Handelsgeschichte d. Griech. p. 40 sqq. [9]) p. 31 sq.

ἐς τὴν μεσόγαιαν, τῇ Οἴη μέν ἐστι οὔνομα, στάδια δὲ μάλιστα κη ἀπὸ τῆς πόλιος ὡς εἴκοσι ἀπέχει κτλ.» Huic mensurae nihil tribues contemplatus, singulorum castellorum a Dareo ad Oarum fluvium, ut opinatur Herodotus, conditorum ruinae quantum inter se distent, memorari et quae similia superiore loco[1]) exempla congessimus.

Quae cum ita sint, latet, num Aeginam petiverit Herodotus.

CAP. VIII.

De Italia.

§ 1. Thurios sese contulisse Herodotum constat[2]), de Metaponto idem ipse adfirmat IV. c. 15: haec habes, quae de universa Italia pro certis venditare liceat, nisi quod Athenis eum Thurios profectum perquam verisimile est.

§ 2. A Thuriis prope distabat Sybaris et scit Herodotus Crathin, rivum apud Sybarin exsiccatum V. c. 45, scit urbe diruta Sybaritarum reliquos Laum et Scidrum oppida incoluisse VI. c. 21, Sybaritas denique testes identidem adhibet V. c. 44 sqq. Quibus nisi graviora succurrent, ullam vim adhaerere haud cunctanter infitiamur.

§ 3. Quod attinet ad Crotonem, non minus dubito. Nam in verbis V. c. 45 *«τὰ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι ἐνέμοντο οἱ Καλλίεω ἀπόγονοι»* neque locutioni *«ἐς ἐμέ»* neque imperfecto — quod putat Steinius[3]) — confidendum esse exemplis luculentum fit his: IV. c. 124 *«τῶν ἔτι ἐς ἐμὲ τὰ ἐρείπια σόα ἦν»* et IV. c. 204 *«ἥπερ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν οἰκεομένη ἐν γῇ τῇ Βακτρίῃ»*[4])

§ 4. Iapygiam quoniam Chersoneso Tauricae comparat IV. c. 99, navi fortasse circumvectus est; quam navigationem ita instituere potuit, ut a Brundisio ad Tarentum vel inverso ordine littora legeret. Sed figuram Iapygiae quidni a nautis doctus sit?

§ 5. Crestonem Herodotus adierit necne diiudicari prius non potest, quam situm urbis aliquo modo definiverimus. Quo munere pro mea parte defuncturus viris harum rerum peritissimis duobus[5]) non profligatam modo quaestionem, sed absolutam et confectam recoquere videbor. Neque tamen irritam me spero operam collocavisse in re ut a multis, ita via ac ratione a nullo

---

[1]) v. p. 13 sq.

[2]) cf. Strab. p. 656. Plut. de exilio c. 13. Suid. s. v. Ἡρόδοτος.

[3]) ad. I. c. 192, adn. 13.

[4]) v. supra p. 14 sqq.

[5]) Kieperto (Lehrbuch der alten Geogr. p. 403) et Steinio (cf. Bursian, Jahresberichte III. p. 727, 1874/75).

adhuc tractata, in qua recentissimis etiam temporibus opinio iam pridem, ut videbatur, abiecta revixit[1]).

Exordior a testibus Graecis ipsumque primo loco Herodotum propono I. c. 57: «ἥντινα δὲ γλῶσσαν ἵεσαν οἱ Πελασγοί, οὐκ ἔχω ἀτρεκέως εἰπεῖν · εἰ δὲ χρεών ἐστι τεκμαιρόμενον λέγειν τοῖσι νῦν ἔτι ἐοῦσι Πελασγῶν τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων, οἳ ὅμουροί κοτε ἦσαν τοῖσι νῦν Δωριεῦσι καλεομένοισι (οἴκεον δὲ τηνικαῦτα γῆν τὴν νῦν Θεσσαλιῶτιν καλεομένην), καὶ τῶν Πλακίην τε καὶ Σκυλάκην Πελασγῶν οἰκησάντων ἐν Ἑλλησπόντῳ, οἳ σύνοικοι ἐγένοντο Ἀθηναίοισι καὶ ὅσα ἄλλα Πελασγικὰ ἐόντα πολίσματα τὸ οὔνομα μετέβαλε, εἰ τούτοισι τεκμαιρόμενον δεῖ λέγειν, ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες. εἰ τοίνυν ἦν καὶ πᾶν τοιοῦτο τὸ Πελασγικόν, τὸ Ἀττικὸν ἔθνος ἐὸν Πελασγικὸν ἅμα τῇ μεταβολῇ τῇ ἐς Ἕλληνας καὶ τὴν γλῶσσαν μετέμαθε. καὶ γὰρ δὴ οὔτε οἱ Κρηστωνιῆται οὐδαμοῖσι τῶν νῦν σφέας περιοικεόντων εἰσὶ ὁμόγλωσσοι οὔτε οἱ Πλακιηνοί, σφίσι δὲ ὁμόγλωσσοι.» Idem de Xerxis itinere haec exhibet VII. c. 124: «...... Ξέρξης δὲ καὶ ὁ πεζὸς στρατὸς ἐπορεύετο ἐκ τῆς Ἀκάνθου τὴν μεσόγαιαν τάμνων τῆς ὁδοῦ, βουλόμενος ἐς τὴν Θέρμην ἀπικέσθαι. ἐπορεύετο δὲ διὰ τῆς Παιονικῆς καὶ Κρηστωνικῆς ἐπὶ ποταμὸν Ἐχείδωρον, ὃς ἐκ Κρηστωναίων ἀρξάμενος ῥέει διὰ Μυγδονίης χώρης καὶ ἐξίει παρὰ τὸ ἕλος τὸ ἐπ' Ἀξίῳ ποταμῷ.» His ex verbis sunt[2]) qui colligere velint, Persas Acantho profectos peragratis Paeonica Crestonicaque, quae fuerint regiones haud longe supra Acten paeninsulam positae, Echidorum e Crestonaeorum finibus fluentem adsecutos esse, quos quidem Crestonaeos a Crestonicae incolis differre. Putant igitur ingentem Persarum nubem uno agmine per Chalcidicam incessisse, quod si verum esset, ne ipse quidem longissimae viae flexionem recto mediam per Chalcidicam itineri praelatam a Xerxe crederem. Verum tamen tantam hominum iumentorumque multitudinem uno agmine iter facientem frumento non carere non potuisse consentaneum est; et reapse Persae per Thraciam incedentes tripertito agmine usi sunt (cf. VII. c. 121), tripertiti fuerunt, cum Thermaeo in agro commorarentur (cf. VII. c. 131 «τριτημορίς»), partiti denique montes Macedonicos superavisse[3]), partiti Phocidem[4]) intrasse videntur. Quare copias ita divisas fuisse cum Steinio[5]) coniecerim, ut prima pars Acantho recta Thermam progrederetur, altera ab Eïone

---

[1]) cf. Duncker, Gesch. d. Alterthums V. 3—5. p. 17.
[2]) Mueller. die Etrusker, I.² p. 90 sq. Lepsius, Ueber die Tyrrhen. Pelasger etc. p. 20.
[3]) cf. supra p. 19. [4]) cf. supra p. 27. [5]) ad VII. c. 124.

per septentrionalem Chalcidicae tractum Bolbe lacu praeterito eodem tenderet, tertia denique Eïone et ipsa profecta per Paeones Crestonaeorum fines, hinc anfractum viae secuta Thermaeum sinum peteret.

Itaque nisi ipsas res praeiudicatae opinioni subiungere libet, concedes, Crestonicae incolas a Crestonaeis minime esse distinguendos, neque apud Herodotum nisi unam Crestonicam eamque circum Echidori fontes sitam, incultam a Crestonaeis, commemorari, cum Crestonis incolae I. c. 57 «*Κρηστωνιῆται*« appellentur [1]).

Crestonicae mentio fit etiam VIII. c. 116, Crestonaeorum V. c. 3; VII. c. 127, ita tamen, ut nihil inde concludi possit.

Adiungo ceteros.

Hecataeus [2]) in altero terrae descriptionis libro, — in Europa — *Κρηστῶνας* eos dixit, qui apud ceteros sive *Κρηστωναῖοι* sive *Κρηστώνιοι* audiunt. Quod dicit Muellerus, [3]) nomen *Κρηστωνική* rectius a nomine *Κρηστών*, *Κρηστωναίους* a nomine *Κρηστώνη* derivari, concedo. Nec vero urbs *Κρηστών* flagitatur, sed quo Hecataeus usus est, nomen populi. Nam *Κρηστῶνας* non potuisse appellari urbis Crestonis cives consentaneum videtur. *Κρηστῶνες* et *Κρηστωνική* perinde se habent ac *Παίονες* et *Παιονική*.

Ex eodem Stephano [4]) scimus, adiectivum *Κρηστωναῖος* apud Pindarum locum habuisse [5]), nisi forte aliud nomen restituendum est; Meinekius [6]) de Pisandro cogitat.

Sequitur Thucydides, qui II. cc. 99. 100 praeter alias Thraciae Macedoniaeque provincias, ut Bisaltiam et Mygdoniam, *Γρηστωνίαν* adfert, eundem, opinor, quem Herodotus tractum spectans, quippe eum, ex quo Echidorus profluit.

Idem IV. c. 109 Crestonicae nationis aliquam particulam varias inter Actes paeninsulae gentes sedisse testatur. Pelasgorum simul mentionem iniciens: «*τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικὸν τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων κτλ.*», quocum concinunt Strabo p. 331 (Z. fr. 35): «*ᾤκησαν δὲ τὴν Χερρόνησον ταύτην τῶν ἐκ Λήμνου Πελασγῶντινες εἰς πέντε διῃρημένοι πολίσματα, Κλεωνὰς Ὀλόφυξον Ἀκροθώους Δῖον Θύσσον*» et Mela II. 32. «ima eius (Athois) tenent parvae Pelasgorum coloniae.»

---

[1]) Quod primum se animadvertisse Bouhier (Recherches et dissertations sur Hérodote p. 104), gloriatur.

[2]) Apud Steph. Byzant s. v. *Κρήστων* (I. p. 383 Mein.)

[3]) l. c. p. 91. [4]) l. c. [5]) fr. 212 Bkh. [6]) ad. Steph. B. l. c.

Lycophron v. 400 «*Κρηστώνης ἔχις*», v. 937. »*ὀρχωμοτήσας τόν τε Κρηστώνης θεόν*« [1]) Crestonicam Crestonen dicere videtur, quae sit per synecdocham pro tota Thracia accipienda. Nec frustra Muellerus (l. c. p. 91) formam adiectivi *Κρηστωναῖος* a nomine *Κρηστώνη* derivat [2]).

A Rhiano *Κρηστωνίους* commemoratos scimus [3]): quippe eadem adiectivi formandi ratione usus est, qua qui vulgo dicebantur *Ἀγυλλαῖοι*, «*Ἀγυλλίους*» vocavit. [4])

Apud Strabonem VII. p. 331. C. fr. p. 41. nihil exstat nisi *Κρηστωνία*.

Iam audiamus eum, cui veterum testimoniorum plurima debentur. Stephanus Byzantius similisque ingenii grammatici non pro suis quisque facultatibus, sed pro fontium, quos exscripserunt, auctoritate aestimandi sunt, ita quidem, ut optime de nobis, quamvis invitum, meruisse profiteamur, qui summa sese proprii ingenii sterilitate ad bonae fidei testem applicaverit. Stephanum Byzantium ab Herodiano pendere bene perspectum habuit Ritschelius [5]); qui quantopere Technici copias despoliarit, Lentzius enucleare conatus est [6]) isque largo indiciorum numero congesto. Itaque ne hanc quidem Stephani adnotationem Lentzius pensi quicquam habuit, quin inter reliquias Herodianeas totam reciperet, sic scribens mira lectionum vel vitiorum discrepantia: I. p. 39, 8 (*περὶ καθολικῆς προσῳδίας α´*): *Κρηστών* (sic!) *πόλις Θρᾴκης παρ' Ἡροδότῳ* (I. 57.) *λέγεται καὶ Κρηστώνη Λυκόφρων* (v. 937.) «*ὀρμοκωτῆσαι* (sic!) *τόν τε Κρηστώνης θεόν*». I. p. 337, 21 (*περὶ καθ. προσ· β´*): *Κρηστώνη πόλις Θρᾴκης. Λυκόφρων* (v. 937) «*ὀρμωκοτῆσαι* (sic!) *τόν τε Κρηστώνης θεόν*» *ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστὼν παρ' Ἡσιόδῳ* (sic!) [7]).

Fontem huius doctrinae Stephanum esse Byzantium, Lentzius in margine ipse profitetur; qui quo iure traditum verborum tenorem aut addendo aut transponendo immutaverit, peritioribus quaerendum committo. Facere tamen non possum, quin dubius haeream in accentuum quam video diversitate. Nam qui est subtilisimus Stephani editor, Meinekius, ex libris manuscriptis nihil testatur, nisi: «*Κρήστων, πόλις Θρᾴκης. ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστὼν παρ' Ἡροδότῳ. Λυκόφρων* «*ὀρχω-*

---

[1]) Hunc versum laudat Steph. B. l. c.

[2]) Quanquam Galaeorum (*Γαλαῖοι* C. I. A. I. No. 243 lin. 8. No. 244 lin. 73) terra non fuit *Γάλη*, sed *Γαλαϊκή* (Herod. VII. c. 108), ut videtur cum Rangabi Boeckhio Staatsh. II. p. 676.

[3]) Ex Stephano l. c. [4]) cf. Saal, Rhiani fragmenta p. 55.

[5]) De Oro et Orione. opusc. I. p. 637.

[6]) Herodiani Technici reliquiae coll. etc. A. Lentz I. p. CXXXVI sqq.

[7]) Hoc vitium ad indicem usque permanavit.

μοτήσας τόν τε Κρηστώνης θεόν». *ὁ πολίτης Κρηστωναῖος παρὰ Πινδάρῳ, Ῥιανὸς δὲ Κρηστωνίους αὐτούς φησιν. Ἑκαταῖος δὲ Κρηστῶνας αὐτοὺς ἐν Εὐρώπῃ. καὶ Κρηστωνικὸν κτητικόν.»*

Sed Herodianus, qui in perquirenda prosodia totus versabatur, qui accentuum vices discernere ac definire acerrimo iudicio studebat, aut non potuit formas *Κρήστων* et *Κρηστών* easdem putare, aut si putabat causa nisus nescio qua reconditiore, uno eam verbo perstringere debuit. Nec tam vulgare fuit Crestonis nomen, quod sine auctore ponere liceret. Lentzius igitur suo arbitrio *ὀξυτόνως* «*Κρηστών*» scripsit, neque primo oculorum obtutu luculentius quicquam videtur. Sed ut cetera mittam, cur quaeso Herodianus ad probandam formam «*Κρηστών*» versum Lycophronis arcessiverit eum, qui «*Κρηστώνη*» nominis exemplum praebet, non praebet formam «*Κρηστών*»? Grammaticum fuisse Herodianum memineris nec urbium nomenclaturam composuisse. Sed hunc quidem scrupulum missum interim faciamus: revocabimus mox, graviorem antea dubitationem contemplati. Nam tantum abest, ut ratio ista Lentzii bonam Herodianeorum partem ex grammatici Byzantii panniculis consuendi concessu omnium iudicum probetur, ut mihi persuaserit Hillerus [1]), nimium fuisse Lentzium in Stephano expilando. Hic locus non est, quo Hilleri argumenta repetamus; invicta sunt meo quidem iudicio. Sed operae pretium est, eandem ad quaestionem aliunde accedere. Viam munivit Giesius, qui in diligentissima illa, quam de Theone grammatico edidit dissertatione [2]), Stephanum Byz. usum esse demonstravit commentario Theonis ad Lycophronis Alexandram scripto. Quod in perspicuo ipse ponit Stephanus sic locutus p. 50 Mein.: «*Αἴνεια . . . . Θέων δ᾽ Αἰνειάδας ταύτην καλεῖ ὑπομνηματίζων τὸν Λυκόφρονα κτλ.*» et p. 399 Mein.: «*Κύτινα πόλις Θεσσαλίας, ὡς Θέων ἐν ὑπομνήματι Λυκόφρονος κτλ.*»

Hinc probabili efficitur coniectura, Theoni deberi, quidquid Lycophroneorum a Stephano omisso fontis nomine proferatur. Nec enim plures simul libros evolvere moris fuit istis compilatoribus et arduam operam taediique plenam Stephanus suscepisset, si locupletissimis indicis subsidiis destitutus singula nomina ex innumeris Herodiani scriptis conquisivisset, quod eo improbabilius dixerim, quo commodiores Theonis copiae suppeterent. Itaque cum eo, quem nunc tractamus, loco Lycophronis mentio fiat, Theonem fontem esse Stephani sine nimia audacia suspicabimur. Qui quando fuerit, plane non traditur, sed Giesius

[1]) cf. N. Jahrb. 1871. 103. p. 524 sqq.
[2]) Giese, de Theone grammatico eiusque reliquiis p. 50 sqq.

acuta probavit argumentatione [1]), aequalem eum Didymi Chalcenteri, h. e. Ciceronis, museo Alexandrino praefuisse. Iam magna oritur quaestio, potueritne sic scribere Theo, ut nunc exstat in libris Stephani: «*Κρήστων, πόλις Θρᾴκης. ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστὼν παρ' Ἡροδότῳ κτλ.*» Quod ego valde dubito. Primum enim credi paene nequit, idem nomen apud Herodotum «*Κρηστών*», apud nescio quem scriptorem nunc deperditum «*Κρήστων*» scriptum fuisse. Ante omnia autem animadvertas, solere interpretes in diversis eorundem nominum formis comparandis, originem scientiae suae indicare. Parum enim commodi adfert legentibus, scire *Κρηστῶνα*, Thraciae urbem, nisi simul discunt, ubi rarissimum hoc nomen inveniatur. Quod recte statui singuli fere Stephani versus documento sunt.

Hic latere vitii aliquid, virum acutissimae naris Meinekium non praeteriit et persanasse videtur coniectura: «*Κρηστώνη, πόλις Θρᾴκης. ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστὼν παρ' Ἡροδότῳ.*»

Iam Stephanus versum Lycophronis a Theone explicatum interposuit: «*Λυκόφρων· ὁρκωμοτῆσαι τόν τε Κρηστώνης θεόν*», quae sequuntur, Theonis haud dubie sunt. Ortam esse corruptelam eo putaverim, quod «*η*» littera abscissa accentum corrector nescio quis immutavit, ut umbra saltem differentiae conspiceretur.

Ergo nisi accidit hac in re, quod ne saepe accideret, ratio illa compilatorum satis prohibebat, ut planius dicam, nisi alium praeter Theonem scriptorem [2]) consuluit Stephanus, Theonem, Ciceronis fere aequalem, in libris suis Herodoteis sicut nos «*Κρηστῶνα*» legisse probabile est. —

Omissis, qui praeter nomen varie scriptum nihil exhibent [3]), disputationis modo absolutae summam breviter comprehendo: vidimus Crestonicam, vel Crestoniam, vel Crestonen regionem esse circa Echidori fontes unam, a Crestonaeis (Crestonibus, Crestoniis) incultam, cuius gentis particula aliqua aetate Thucydidis Acten paeninsulam tenebat. Contra de urbis Crestonis situ certi nihil aetatem tulit, nisi «*ὑπὲρ Τυρσηνῶν*» eam fuisse.

Nolo autem infitias ire, primo oculorum obtutu eorum [4])

---

[1]) l. c. p. 23 sqq.

[2]) Ipsum sane Herodotum legisse videtur Stephanus (cf. Niese, de Steph. B. fontibus I. p. 15), sed *Κρήστων* ibi nusquam invenit.

[3]) Theopomp. ap. Athen. III. p. 77 E. — Pseudo-Arist. mir. ausc. c. 122.

[4]) Gronovius et Wesselingius ad Her. I. c. 57. Dahlmann, l. c. p. 59. adn. 60. Heyse, l. c. p. 127. Baehr, ad. Her. I. c. 57. O. Mueller, l. c. p. 89—93. Lepsius, l. c. p. 18—21. Abel, l. c. p. 36 sq. Duncker, l. c. V. [3—5] p. 17. De commentatione Hochreiteri (Die Ansicht Herodots über die geogr. Verbreitung der Pelasger etc.) quam adipisci non potui, vide Steinii iudicium in Annalibus Bursiani III. p. 726. sq. 1874/75.

opinionem non carere specie veritatis, qui Crestonem ad Crestonaeos pertinuisse quasi ratione sat superque commendatum putant Thucydidis praecipue testimonio freti.

At neglegunt, primum, urbis Crestonis nomen a Thucydide nusquam commemorari; deinde, Pelasgos apud Herodotum distingui a Tyrrhenis, non distingui apud Thucydidem. Herodotus, ut recte adnotat Steinius [1]), Tyrrhenorum ubicumque mentionem facit [2]), Maeones intellegit, olim qui Tyrrheno duce in Etruriam commigraverunt [3]); ab his distinguit Pelasgos supra Tyrrhenos habitantes. Quod quidem summi momenti est; praeterea hoc attendas, Crestonicae illam gentis particulam in Acte ad Thucydidem usque reliquam secerni l. c. a Pelasgis, cum Herodoti Pelasgi Crestone sedeant.

Quod autem primarium mihi argumentum videtur: si fuisset urbs sive Thraciae sive Chalcidicae Creston, non licuisset situm definire dictitanti, «ὑπὲρ **Τυρσηνῶν**» eam esse. Sic loquentem vix centesimus quisque intellexisset.

Altera [4]) eorum est opinio [5]), qui Crestonem eandem atque Cortonam Etruscorum censent. Habemus enim locum Dionysii Halicarnassenis (Antiq. Rom. I. c. 29), ubi verba Herodoti (I. c. 57) «*καὶ γὰρ — ὁμόγλωσσοι*» ita excitantur, ut pro nomine «**Κρηστωνιῆται**» scriptum reperiatur «**Κροτωνιᾶται**». Dionysii ex testimonio orsi in duas philologi partes discesserunt, aut Herodoti textum e Dionysio [6]) aut Dionysium Herodoti auxilio [7]) emendandum rati. Ii autem contra primariam criticae artis legem agere videntur qui vulgarem Crotonis appellationem librarii errore in «**Κρηστῶνα**» abiisse volunt: contrarius error facilius intellegeretur, et accidit Herod. III. c. 136, ubi alii libri «*κρηστώνης*» alii «**Κρότωνος**» exhibent; illud aperte corruptum, hoc non dubito malae correctoris sollertiae imputare. Si quidem Dionysius in libris suis «**Κρότωνα**» invenit, «**Κρηστῶνα**» et «**Κρηστωνιῆται**» non casu in textum irrepserunt, sed corrector manum adhibuit. Quid moverit hominem nescimus: Kiepertus [8]) Thucydidis loco (IV. c. 104) deceptum conicit; et praestat hoc in commento perquam probabili acquiescere, quam consueto

---

[1]) ad I. c. 57.
[2]) I. cc. 94. 163. 166 sq. VI. cc. 17. 22. [3]) I. c. 94.
[4]) Nugas omitto, ut Schaeferi (de quibusdam locis Herodoteis p. 27) Crestonem cum Scylace et Placia ad Hellespontum collocantis.
[5]) Bouhier, l. c. p. 104. Niebuhr, Römische Geschichte I. 3. p. 39. adn. 89. Stein, ad Herod. I. c. 57. Kiepert, l. c. p. 403.
[6]) Bouhier, l. c. p. 104; Niebuhr, l. c. p. 39 adn. 89.
[7]) Geinoz, quem laudat Bouhier l. c. p. 104.
[8]) l. c. p. 403.

librarios culpandi more remedium quaerere, quod refugium potius est.

Dionysius igitur Augusti aequalis «*Κρότωνα*» testatur, contra quem Ciceronis aetati probabiliter adscribi vidimus [1]) Theonem ut nos «*Κρηστῶνα*» legisse verisimile est [2]). Quam difficultatem sane miram enodare non possumus, nisi ponentes, Theonem exemplari usum esse coniectura ista infecto. Idem cum museo praefuisse videatur, nescio an in libro Alexandriae adservato correctio infuerit. Et est hominis satis docti, in lectione Herodotea Thucydidis meminisse.

Accedit aliud: Hellanicus [3]) docuit Pelasgos e Thessalia in Etruriam profectos Crotone condita totam terram suae ditioni subiecisse. Haec quid Herodoto officiant non adsequor [4]). Quidni Pelasgi postquam dominationem aliquamdiu obtinuerint, amiserint incursione Tuscorum [5])? Certe putabant Graeci [6]). Crotonem Hellanici Cortonam esse inter omnes fere constat, nisi quod unum repperi Bassium de Crotone Democedis patria cogitantem [7]). Cui verba Hellanici refragantur. Quod quasi invictum argumentum Muellerus [8]) obtendit, Herodoti aetate Cortonam, principem septentrionalis Etruriae urbem, a gente aliena teneri minime passuros fuisse Etruscos, verbis Herodoti recte explicatis ad nihilum recidit. Partitive enim dicit Pelasgorum, qui Crestone olim sederint, eos, qui ad suam aetatem reliqui fuerint; «*οἰκεόντων*» pro participio praeteriti habendum scite Steinius adnotat [9]). Ergo ipse scriptor reliquias pristinorum incolarum planis verbis significat. Hoc autem per totam quaestionem praesumptum habeant lecturi velim, nihil referre, Crestonensibus Herodoti Pelasgorum nomen an aliud imponas. Nos pro certo accipimus, fuisse Herodoti aetate Crestone gentis cuiusdam a principe populo lingua diversae reliquias [10]).

---

1) v. supra p. 46.
2) v. supra ibid.
3) v. Dion. Halic. Antiq. Rom. I. c. 28. Adsentitur Diodorus XIV. 113.
4) Sentit Mueller, l. c. I. ^{2} p. 90.
5) cf. Plin. n. h. III. 8 § 50: «Etruria saepe mutavit nomina: Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi.»
6) Rem enim pro vera accipere dubito; cf. Schwegler, Röm. Gesch. I^2 1. p. 167; Westphal, Heidelb. Jahrbücher 1852 No. 55 p. 875.
7) Wiener Studien I. p. 163.
8) l. c. p. 90. Adstipulatur Lepsius l. c. p. 19.
9) ad. I. c. 57. Fefellit tamen res et Kiepertum (l. c. p. 403) et Dunckerum (l. c. V. $^{3-5}$ p. 16 sq.)
10) Servi fortasse publici fuerunt: cf. Steph. Byz. s. v. *Χίος* (I. p. 694 Mein.) «*οὗτοι δὲ πρῶτοι ἐχρήσαντο θεράπουσιν, ὡς Λακεδαιμόνιοι τοῖς Εἵλωσι . . . καὶ Ἰταλιῶται τοῖς Πελασγοῖς*».

Vidimus adhuc, Creston quod Thraciae adscriberetur prorsus non esse [1]), contra qui Cortonam tutentur, testimonia eis subvenire Hellanici Dionysiique, lectionem autem «Κρηστῶνα» incognitam Dionysio, iam Theoni notam fuisse! quamquam hac quidem in re non possumus ultra magnam quandam probabilitatem provehi. Hellanicus quia de Cortonensibus idem quod de Crestonensibus Herodotus [2]), narrat, hoc non sequitur, ut verum sit, sed in Graecorum tunc opinione valuisse videtur. Commodam autem quam praebent Hellanicus Dionysiusque ansam apprehendere praeoptaverim, ne hac repudiata inani hariolationum ludibrio indulgeamus. —

Iactis nunc fundamentis meum ad munus regredior.

Herodotum ad Etruriam penetravisse omnes, quod sciam, negaverunt. Observabant nec Romae usquam nex Romanorum mentionem inici, praeterquam quod ut superiorem, sic mediam Italiam silentio paene praeteritam videbant [3]). Quae causa valeret, si orbem Herodotus descripturus aut itinerum suorum commentarios editurus fuisset. Immo ex silentio argumenta capere si apud aliquem scriptorem apud hunc opus est periculosae aleae plenum [4]). Contrariam argumentandi rationem potiorem cautioremque iudicans hanc ob causam ceteris suffragor, quod nihil ullo loco reperitur eius rationis, ut nisi Cortonae auditione famaque accipi non potuerit. Cortonensium mercatura num quinto a. Chr. saeculo tantopere viguerit, ut in Magna Graecia frequentes commodam sciscitandi facultatem praeberent — quaestionem perdifficilem et infructuosam — in suspenso tutius relinquimus. Sed pone, Herodotum notitiam suam nactum esse ab homine occidentalis Etruriae indigena; nonne omnia iam recte se habent? Cortona enim in orientali Etruriae tractu sita exiguo spatio a finibus Umbrorum afuit; neque male Crestonenses «ὑπὲρ Τυρσηνῶν» collocantur, cum reapse pauci tantummodo Tuscorum orientem versus a Cortona habitaverint. Quare consentio cum Kieperto [5]), in «ὑπέρ» praepositione non nimis offendendum esse [6]). At mirantur subtilem

[1]) Etsi Cousinéry, Voyage en Macédoine I. p. 143 sqq., rudi lapidum farragini nomen Crestonem animi causa indidit.
[2]) Niebuhrius (l. c. p. 40) Herodotum Hellanici ad opinionem se applicasse putat, id quod parum credibile est; cf. Bass, l. c. p. 163.
[3]) v. Niebuhr, Kl. Schr. 1. p. 143.
[4]) Rennel, (apud Bredow, Untersuch. über einzelne Gegenstände der a. Geogr. p. 400).
[5]) l. c. p. 403.
[6]) Offendunt Lepsius l. c. p. 19. Rawlinson, l. c. adn. 4 ad I. c. 57. Hochreiter, l. c. (v. supra p. 46 adn. 3).

Herodoti scientiam! Quam si homo Herodoti fere aequalis Hellanicus eandem habuit, quidni Herodoto innotuerit?

Venio ad alterum: si diceret scriptor, Pelasgorum Crestonensium linguam a Pelasgis illis Propontidis intellegi, non sine aliqua difficultate excogitari posset, qua Crestonensis occasione cum Placieno Scylacensive arbitro Herodoto collocutus esset. Sed dicit utramque linguam eandem esse, utramque ab accolarum linguis diversam, quippe barbaram. Scylacae et Placiae quin ipse adfuerit vix dubium: ibi Pelasgorum linguam audivisse, nonnulla fortasse vocabula propter barbarum sonum memorabilia in commentariis [1]) suis adnotasse existimandus est, sicut Scytharum [2]) quaedam Arabumque [3]) vocabula cognita habet. Iam cum priscorum Crestonensium reliquos haud secus ac Placienos a vicinis circumcolentibus lingua differre comperisset, illorum memor, de lingua Crestonensium quid sciret testis, percontatus est. Hic cum verbi causa «mensam» ab illis sic, sic «equum», ita «hominem» significari narraverit, quidni haec eadem esse potuerint ac quae Scylacae se audire scriptor meminerat — saltem eadem videri? Cavendum autem, ne tanta Graecum hominem anxietate propriam linguarum indolem curavisse opineris, quanta excellunt qui nunc sunt philologi. Exemplo adsumo imagines Sesostridis (cf. II. c. 106), in quibus Herodotus verba insculpta esse scit Aegyptia, quorum etiam tenorem refert, cum tamen constet verba illa neque Aegyptia fuisse neque eius, quem vult Herodotus, intellectus [4]), neque, quod caput est, Aegyptiae scripturae Herodotum fuisse gnarum.

In rem est addere III. c. 98 [5]), ubi Indos, quos neutiquam visitavit «*ὁμοφώνους*» esse negat.

Cum persuasum habeam, notitiam Herodoti eam non esse, quam extra Cortonam adipisci non potuerit, itineris statuendi necessitatem non agnosco.

§ 6. Non quo scruta iam pridem abiecta etiam atque etiam excutere placeret, sed ne desiderari quicquam videretur, sextam hanc septimamque paragraphos adiecimus.

I. c. 196 non modo non favere Veneto itineri verum

---

[1]) Commentariis usum non esse Herodotum aegre cuiquam probabit Nissen, cf. Zeitschrift für Alterthumswiss. 1839. 25. p. 193 sqq.

[2]) IV. c. 110. IV. c. 27 («*ἄριμα*» et «*σποῦ*» Graecae originis videntur, cf. Stein ad l.) [3]) III. c. 9.

[4]) v. Matzat, l. c. p. 398.

[5]) Quem locum Persico ex fonte fluxisse Matzat, l. c. p. 459 docet.

etiam refragari, iam Heysius bene perspexit: legeremus certiora, opinor, quam «τῶν καὶ Ἰλλυριῶν Ἐνετοὺς πυνθάνομαι χρᾶσθαι» si coram spectavisset morem illum.

§ 7. Ex enuntiato V. c. 9: «σιγύννας δ' ὧν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες τοὺς καπήλους κτλ.», quod a Wesselingio olim sine causa suspectatum, defensum a Schweighaeusero uncinis liberavit Baehrius, ne quis Ligusticum iter evocare audeat. Linguam Ligurum in Sicilia aliquo modo notam fuisse, ubi sicut postea belli Punici primi tempore[1]) ita anno 480 in Carthaginiensium exercitu stipendia meruerant[2]), etsi non nimis probabile est, cogitari fortasse potest; sed videtur ipse Herodotus fontem notitiae suae indicasse. Constat Massilienses Ligurum incursionibus per longum tempus lacessitos esse[3]): quo mercatores nomine appellarent vicini, eosdem, mercatorum illis in regionibus principes, fugere nullo modo potuit. De commercio Massiliensium et Graecorum Siculorumque fontes ei quidem, quibus nos utimur, tacent[4]), quod nihilo secius non dubito quin satis crebrum fuerit.

CAP. IX.

De Sicilia.

§ 1. Peregrinator num in Siciliam transierit, adhuc sub iudice lis est[5]) et manebit, quandoquidem, etsi argumentis non plane destituti sumus, caremus tamen prorsus perspicuis.

Siculos quod in universum VII. cc. 153. 165, seorsum Syracusanos VII. c. 167 testes facit, mittas. Sicilienses enim Graecos quo in portu invenire non potuerit? Matzatio[6]) discrimen statuenti ita, ut nihil valeat, si «ἐπιχώριοι» multum si «οἱ ταύτῃ οἰκημένοι« excitentur, procul abest, ut adstipuler. An qui civis est Syracusanus, si iter exempli causa in Italiam susceperit, exuta civitate Syracusarum incola esse desinit? Facere non possum, quin hoc discrimen artificiose quaesitum dicam.

---

[1]) Polyb. I. 17, 4. [2]) Herod. VII. c. 165.
[3]) cf. Geisow, de Massiliensum republica. pp. 9 sqq. 12.
[4]) cf. ibid. p. 24 sqq.
[5]) Putant Dahlmann, l. c. p. 55. Heyse, l. c. p. 139. Baehr, ad VII. c. 153. Rogge, l. c. p. 133. Blum, l. c. p. 57. Kirchhoff, Acta Acad. Berol. 1871. p. 13. Dubitat Hand, Ersch. u. Gruber. Encycl. II. 6. s. v. Herodotus. [6]) l. c. p. 437.

§ 2. De loco VII. c. 170: *Κάμικον, τὴν κατ' ἐμὲ Ἀκραγαντῖνοι ἐνέμοντο»* quid iudicet Kirchhoffius supra [1]) vidimus. Putat talem locutionem ex constanti Herodoti usu non aliter posse intellegi, nisi dicturum fuisse Herodotum, Camicum ad Agrigentinos pertinuisse, quo tempore illuc commearit.

Nos contra nec cognitum habemus, qualis illa sit usus Herodotei constantia et exemplis undique collectis probasse nobis videmur, hoc unum significari cum locutione «*κατ' ἐμέ*» tum imperfecto, Camicum Agrigentinorum fuisse, quo tempore scientiam suam nancisceretur Herodotus.

§ 3. Iam conquirenda, quae forte aliunde Kirchhoffio opitulentur. Ac primum quidem observa, nihil praeter illud «*κατ' ἐμέ ἐνέμοντο*» allatum esse, quod visam Herodoto Camicum probet. Adice quod rem nec subtilem nec reconditam alibi perinde atque in ipsa Sicilia comperire haud dubie licuit, nisi vero Agrigentinos intra patriae se fines continuisse tibi persuaseris. Quae si inter se conciliantur Siciliensi peregrinationi non nimis favent.

§ 4. Aeque vacillant, quae cetera arcessuntur. Nam Zanclen pulcherrimam urbem esse (VI. c. 25), quilibet sciebat seu nauta seu mercator Siculus, et Philippi Crotoniatae memoriam herois instar a Segestaeis celebrari (V. c. 47), a nautis Segestaeis procul dubio, a Crotoniatis fortasse potuit accipere, quos quidem divinis popularis hominis honoribus non parum esse gloriatos prompte credideris.

§ 5. Multo iustius referas huc arcuratam, quam pluribus locis prae se fert, Siciliae notitiam: commemorat Camarinam [2]) Camicum [3]), Casmenen [4]) Erycem [5]), Gelam [6]), Heracleam [7]), Himeram [8]), Inycem [9]), Mactorium [10]), Minoam [11]), Selinuntem [12]), Zanclen [13]), Elorum fluvium [14]); Agrigentinos [15]), Callipolitas [16]), Euboeos [17]), Geloos [18]), Leontinos [19]), Megarenses) [20], Naxios [21]) Segestaeos [22]), Selinuntios [23]), Syracusanos [24]), Zanclaeos [25]).

Καλὴν ἀκτήν ad Tyrrheniam vergere oculis cognosci vix potuit (VI. c. 22).

Ut quid iudicem verbis exprimam: Siciliam perlustratam esse ab Herodoto magnam habet probabilitatem, probatum non est.

---

[1]) v. p. 18. [2]) VII. c. 154. [3]) VII. c. 169 sq. [4]) VII. c. 155.
[5]) sc. terram, V. cc. 43. 45. [6]) VI. c. 23 saep.
[7]) sc. terram (?), cf. Stein ad V. c. 43.
[8]) VI. c. 24. VII. c. 165. [9]) VI. c. 22 sq.
[10]) VII. c. 153. [11]) VI. c. 46. [12]) ibid.
[13]) VI. cc. 23. 25. VII. c. 164. [14]) VI. c. 22.
[15]) VII. cc. 165. 170. [16]) VII. c. 154. [17]) VII. c. 156.
[18]) VII. cc. 153. 155 sq. [19]) VII. c. 154. [20]) VII. c. 156.
[21]) VII. c. 154. [22]) VI. c. 46. VII. c. 158. [23]) V. c. 46.
[24]) III. c. 125 saep. [25]) VI. c. 22.

PARTICULA POSTERIOR.
DE ITINERIBUS AFRICANIS.

CAP. I.
De itinere Cyrenaico.

§ 1. Cyrenen Herodotus quin pervenerit II. c. 96 coll. IV. c. 177 dubitare non sinit; de tempore itineris hoc unum recte Hachezius [1]) statuisse videtur, prius Herodotum in Libya quam in Aegypto fuisse. Haec habes, quae de itinere Cyrenen suscepto constent. Unde sit profectus non liquet; Samo eum excurrisse probabiliter coniecit Steinius [2]).

§ 2. Cum de itinere conveniat, etiam locis II. c. 181 «ἄγαλμα . . . . . τὸ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν σῶον, ἔξω ἱδρυμένον τοῦ Κυρηναίων ἄστεος», IV. c. 199 (tres esse Cyrenaicae quasi gradus), II. cc. 32. 33, IV. cc. 154. 155, ubi testimonia Cyrenensium allegantur, aliquid momenti accrescit, quo seorsum positi carent.

§ 3. Plateam insulam visitatam non esse iam Heysius ex IV. c. 156 «λέγεται δὲ ἴση εἶναι ἡ νῆσος τῇ νῦν Κυρηναίων πόλι» collegit, licet miratus. At mirandi locus non est consideranti, nihil de adventu Herodoti esse traditum, in quo haud scio an is fuerit navigationis cursus, ut Platea aut evitaretur aut procul conspecta iudicandi facultatem non daret.

§ 4. Iovis Lycaei collem ab urbe non longe remotum adire certe potuit (IV. c. 203), de Barca, ut Steinius [3]), ipse dubito, cum, ubicumque vel urbis vel civium mentio fiat [4]), nihil eius videatur esse condicionis, quod non Cyrenis audiri potuerit.

§ 5. Idem Steinius [5]) Heysium [6]) secutus excurrisse conicit scriptorem ad locum quendam Cyrenaicae, quem Azirin vocabant. Sed quae cognita habet IV. c. 157 «ἔκτισαν αὐτῆς τῆς Λιβύης

---

[1]) Hachez, de Herodoti itineribus et scriptis p. 62.
[2]) cf. praef. l. c. p. XVIII.
[3]) l. c. p. XVIII. [4]) III. c. 13. 91. IV. cc. 160. 164. 165. 167. 171. 186. 200. 203 sqq.
[5]) l. c. p. XVIII, ubi Azirin «insulam» dicit.
[6]) l. c. p. 116.

χῶρον ἀντίον τῆς νήσου τῷ οὔνομα ἦν Ἄζιρις · τὸν νάπαι τε κάλλισται ἐπ' ἀμφότερα συγκληίουσι καὶ ποταμὸς τὰ ἐπὶ θάτερα παραρρέει» ad exemplum descriptionum supra [1]) consideratarum missa facias.

§ 6. Etiam ad Cinypem perducunt [2]) viatorem, sed incaute provocant ad ipsum IV. c. 175 sic locutum:« *διὰ δὲ αὐτῶν Κῖνυψ ποταμὸς ῥέων ἐκ λόφου καλευμένου Χαρίτων ἐς θάλασσαν ἐκδιδοῖ. ὁ δὲ λόφος οὗτος ὁ Χαρίτων δασὺς ἴδῃσί ἐστι, ἐούσης τῆς ἄλλης τῆς προκαταλεχθείσης Λιβύης ψιλῆς · ἀπὸ θαλάσσης δὲ ἐς αὐτὸν στάδιοι διηκόσιοί εἰσι.»* Sed silvis densam esse etiam Hylaeam refert Budinorumque terram [3]), neque ullius pretii mensurarum significationes esse, ad fastidium decantavimus.

Regionem «*παρὰ Κίνυπα ποταμόν*» fertilissimam (IV. c. 198) amoenitate non minus excellere (V. c. 42) nemo, opinor, ignorabat Cyrenensium.

§ 7. Neque dubito quin Euesperitae agri fertilitatem (IV. c. 198), Aphrodisiadis insulae (IV. c. 169), Plyni (IV. c. 168), Menelai portus (IV. c. 169), Tauchirae (IV. c. 171) et nomina et situs ab eisdem vel facilius compererit quam quae de interioris Libyae tractibus tam accurate sciscitatus est.

§ 8. Irasa (IV. c. 158 sq.) et fontem Apollinis, Cyrenensium urbi propinqua, adspexit fortasse.

§ 9. Gentes Libyum non ita recenset, ut itineris vestigia animadverti possint [4]), nisi quod Asbystae, Cyrenaici agri contermina tenentes, ei, opinor, Libyes fuerunt, quibus non pauca se debere diserte profitetur IV. cc. 173. 187. 191.

§ 10. Ad Hammonium eum excessisse non propter omissam templi descriptionem infitior [5]), sed quia notitiae Herodoteae fontem in aperto positum video. Cyrenenses scriptori testes suppeditasse clara quasi voce clamant l. II. c. 32 haec: «*ἀλλὰ τάδε μὲν ἤκουσα ἀνδρῶν Κυρηναίων φαμένων ἐλθεῖν τε ἐπὶ τὸ Ἄμμωνος χρηστήριον καὶ ἀπικέσθαι ἐς λόγους Ἐτεάρχῳ τῷ Ἀμμωνίων βασιλέι κτλ.»* et c. 33 «*ὡς οἱ Κυρηναῖοι ἔλεγον*». Adice III. c. 26 «*ὅτι μὴ αὐτοὶ Ἀμμώνιοι καὶ οἱ τούτων ἀκούσαντες*».

Describit Herodotus IV. c. 181 Solis fontem, scit Hammoniorum linguam locum inter Aegyptiorum Aethiopumque linguas obtinere medium II. c. 42, Hammonios utriusque na-

---

1) v. p. 13 sq. 2) Heyse, l. c. p. 116, Stein l. c. p. XVIII.

3) v. supra pp. 12. sq.

4) Immo itinerario usus videtur Meltzero (Geschichte der Karthager I. p. 74), cui adstipulor.

5) ut Heysius l. c. p. 115.

tionis colonos esse (ibid.), Hammoniorum denique de exitu Persici exercitus narrationem III. c. 26: in quibus nihil animadvertitur, quod Cyrenensibus exploratum fuisse nequeat. Sin alium insuper fontem usurpatum scriptori tibi persuaseris, in Aegypto per me licet, fortasse Thebis, viderit Hammonios [1]. Hoc pro certo habemus, *αὐτοψίας* ne umbram quidem perspicuam esse.

§ 11. Quoniam in Libya versamur neque singularem paucorum versuum particulam constituere placet, brevem de Carthagine adnotationem Cyrenaico itineri continuabo. Urbs commemoratur III. c. 19, testium vice funguntur Poeni IV. cc. 43. 195. 196, VII. c. 167; sed in quo sive Siciliae [2] sive Cyrenaicae [3] portu non frequens tunc fuit Carthaginiensium commeatus? Nihil equidem curo praetermissam urbis descriptionem [4]; plus valet, quod, quidquid ab istis accepit, nihil video eius subtilitatis, quod extra moenia Carthaginis arcanum fuerit.

CAP. II.

De itinere Aegyptio.

§ 1. Examinemus primum occidentalem inferioris Aegypti tractum.

Canopi quin fuerit Herodotus per se consideratum dubitationem vix habet; desiderantur tamen indicia. In verbis II. c. 97: «*ἐς δὲ Ναύκρατιν ἀπὸ θαλάσσης καὶ Κανώβου διὰ πεδίον πλέων ἥξεις κατ' Ἄνθυλλάν τε πόλιν καὶ τὴν Ἀρχάνδρου καλευμένην*» nec futuri formae, quae nescio quid confidentiae spirare videatur nec secundae personae, ullam esse vim exempla satis commonstrant haec II. c. 29: «*ἀπίξεαι, ποιήσεαι, ἥξεις, πλεύσεαι, ἦλθες*»; V. c. 52: «*διεξελᾶς, παραμείψεαι*», cum nec ultra Elephantinen [5] excessisse Herodotum nec regia via usum

---

[1]) Contrarium Kieperto (l. c. p. 224 adn. 4) videtur. Herodotum Thebis cum mercatoribus Libyis vel Carthaginiensibus sermonem contulisse (Bötticher, Gesch. d. Karthag. p. 68) coniectura longius repetita est.

[2]) Mercatores Carthaginienses Dionysii tyranni temporibus Syracusis habitasse ex Diodoro (XIV. 46) scimus.

[3]) Commercium Carthaginiensium Cyrenaeorumque testatur Strabo p. 836 C.

[4]) cf. Manso, Neue Bibl. der schön. Wissensch. u. freien Künste, vol. 53, 2. 1794. p. 195 sqq.

[5]) v. II. c. 29.

esse [1]) constet. Prope Canopum ad Canopici fluvii ostium Taricheas novit II. c. 113, quod item non longe a Canopo distabat Herculis fanum suam ad aetatem duravisse formula «τὸ καὶ νῦν ἐστι» significat (ibid.). Haec et similia, sicut «ἐς ἐμέ», «μέχρι ἐμέο (ἐμεῦ), «ἐς τόδε», «κατ' ἐμέ», ἐπ' ἐμέο», quorum vis eodem fere tendit, ad unum omnia nec favent nostrae causae nec officiunt.

Oppida Anthyllam et Archandrupolin ab ipso Herodoto praeternavigata esse verbis II. c. 97 supra [2]) adscriptis minime comprobatur; de Naucrati item latet.

Quanquam mirarer, si Graecus homo non aliquantum temporis degisset in urbe Graeca magis quam Aegyptia.

Sai se fuisse prodit II. cc. 28. 62 sqq., 169 sq. — Didicimus his Canopicum Nili fluvium spectatum Herodoto; quod a Canopico orientem versus effossum erat ostium Bolbitinum conspexit, si Naucratin venit, ubi Bolbitinus a Canopico fluvio discedebat.

In media Aegypti orientalis parte, ubi palus nunc paludem excipit, Butos posita fuit, urbs ampla et oraculo Latonae famosa. Huc commeavit Herodotus [3]) nec fugere se passus est, Apollinis templum, Chemmi insulae medio in lacu impositum, quam insulam nare sacerdotes fabulantur.

§ 2. Medium Nili amnem, qui ab urbe Sebennyto nomen traxit, visum ei esse quanquam ex scriptione palam non fit, lubens tamen concesserim, cum tripertiti Nili apicem sive Thebas petens sive redux inde evitare haud facile potuerit.

Incertius est, quatenus oculis edoctus de Prosopitide insula, fluviis Canopico Sebennyticoque et effosso canali cincta, verba faciat. Scit II. c. 41, ambitum insulae novem schoenos aequiperare, quod eidem fonti adscripserim, unde ceteras Aegyptiae terrae mensuras hausit [4]). Caerimonia ibidem memorata per universam Aegyptum in usu fuit; neque de oppido Atarbechi quicquam patet.

§ 3. Unum superest oppidum, quod ab Herodoto visum ipsius docet testimonium II. c. 63, III. c. 12, Papremis; cuius tantum abest ut de positione conveniat, ut ne nomen quidem nisi apud Herodotum inveniatur. Papremi Dahlmannus [5]) et Heysius [6]), eo, opinor, ducti, quod Achaemenem illic Inaros trucidavit, occidentalis aliquem terrae locum Libyaeque vicinum adsignari volunt. Contra Forbigerus [7]) urbem in regione Phatnici ostii contigua, h. e. in orientali inferioris Aegypti

[1]) cf. Schöll, Philol. X. p. 33. [2]) p. 55. [3]) II. c. 155 sq.
[4]) v. infra p. 59 sq. [5]) l. c. p. 69.
[6]) l. c. p. 110. [7]) v. Encyl. Pauly. s. v. Papremis.

provincia, Wilkinsonus[1]) inter oppida quae nunc sunt «Menzaleh» et «Damiette» ponit, Mannertus[2]) eandem habet ac quae postmodo Xois appellata fuerit, Kiepertus in tabula geographica Steinii editioni adiecta inter Daphnas et Bubastin a dextra Pelusiaci fluvii ripa non longe remotam pinxit. Certi vix quicquam enucleari poterit, nisi nova forte monumentorum subsidia succurrerint.

§ 4. Iam relicta occidentali parte Sebennyticum bracchium transgressi concedere debemus, spectationem Herodoti hac in regione admodum esse dubiam. Mendete eum adfuisse Steinio[3]) placet; ego ex l. II. c. 46 nihil temere concluserim, nisi quidquid illic proferat, ad fidem proferri sacerdotum Thebanorum. Thebani varias Aegyptiorum religiones tradiderunt, eorundem, ut opinor, fabulationibus falsam, quam legimus, Panis Aegyptii descriptionem debemus. Etenim cum capripedem Panis effigiem monumenta Brugschio teste[4]) nusquam exhibeant, sacerdotes crediderim, ab Herodoto num Panis Aegytiis in religionibus locus esset interrogatos, adfirmasse, ne quid quod haberent Graeci domesticis sacris deesse videretur, vel quia capripedem deum cum ariete Mendesio errore confunderent. Herodotum ipsi oculi rectiora docuissent, si ad urbem Mendetem commeavisset. Quod dicit II. c. 46 portentum illud Mendesium etiam sua aetate accidisse, dictione «ἐπ' ἐμέο» abutendum non esse supra edisseruimus[5]), ac valde dubito num arcana Mendesia cernere peregrino homini licuerit.

§ 5. Una est urbs, quam visam Herodoto et ipse existimo, Busiris, si quidem ad Delta orientale pertinuit. Sic iudicant monumentis freti Schlichthorstius[6]) et Champollio[7]), quibus ut non adversor, ita argumentum hac e coniectura adsumere nolim. Adfuisse Herodotum effecerim ex II. c. 61 coll. 40, dummodo scitae Steinii adnotationi obsecutus post verbum capitis 40 «ἱρέων» ipsius deae nomen et feriarum aliquam significationem excidisse largiaris.

Vidimus in orientali provincia non ita diuturnam fuisse scriptoris praesentiam, vel potius delituisse vestigia.

§ 6. Restant loca Pelusiaco bracchio vicina. Adiit Pelusium (III. c. 12), Taricheas prope sitas si non visit, visere tamen potuit (II. c. 15). Potest etiam, ut cum Bubastin veheretur Daphnas (II. cc. 30. 107) praelegerit.

---

[1]) Apud Rawlinsonum. l. c. ad. II. c. 63.
[2]) Geogr. d. Gr. u. Röm. X. 1. p. 571.
[3]) l. c. p. XVIII.
[4]) v. adn. ad II. c. 46 edit. Steinianae.
[5]) v. p. 16 sqq.
[6]) Geographia Africae Herodotea p. 69 sqq.
[7]) L'Égypte sous les Pharaons II. p. 184.

De castris mercenariorum (II. c. 154) nihil constat, nisi illud «μέχρι ἐμεῦ» nullius pretii esse. Sed Bubasti se moratum ipse testatur II. cc. 137 sqq.; qui contra urbem in insula incolebatur pagus Myecphorites fugere praeternavigantem vix potuit.

De Cercasoro ipse tacet; sed nomen aliquotiens commemorat (cf. II. cc. 15. 17. 97).

§ 7. Vidit in media Aegypto Heliopolin (II. c. 3), Memphin (II. cc. 2. 3 saepius), pyramides (II. c. 124 sqq.), deficientis Nili receptaculum, quod lacum Myridis falso perhibebant; praeterea labyrinthi miraculis animum intendit et Crocodilonpolin, Myridis lacu adiacentem, non cernere non potuit (II. c. 148 sqq.).

§ 8. In superiore Aegypto Chemmin tetigit et Neapolin (II. c. 91), fuit Thebis (II. cc. 3. 143), praeter Syenen ad Elephantinen usque vectus est (II. c. 28). Ultra se processisse ipse negat II. c. 29.

§ 9. Num quae II. c. 47 continentur in ipsa urbe Lucinae, quam *Εἰλειθυίας πόλιν* Graeci nuncupabant, observaverit scriptor, vehementer quaeritur. Huius in urbis monumentis adhuc solis suum effigies repertae sunt [1]). Ibi cum dea coleretur Luna non inepte Brugschius aliquam huius deae cum sue rationem posuisse [2]) videtur [3]). Urbs, quod ex monumentis elucet, satis ampla, in ripa Nili inter Thebas et Elephantinen exstructa duarum fere horarum itinere ab Apollinopoli magna remota fuit, ubi nunc est vicus El Kab [4]). Praeternavigare debuit Herodotus; quanquam num urbem ingressus sues istas adspexerit, dubitare maluerim, cum quidquid c. 47 exhibetur, sacerdotum videatur esse.

§ 10. In ea Aegypti provincia, quae Arabia Herodoto est, canalis a Necone incohatus, a Dareo perfectus non multo supra Bubastin a Nilo discedebat, unde pedes montium Arabicorum et Patumum oppidum praeterlapsus per lacus amaros Arabico mari adfundebatur. Quo canali vectum esse Herodotum, nisi capitis 158 colori credis, verbis «τῶν ἔτι οἱ ὁλκοὶ ἐπίδηλοι» (II. c. 159) minime comprobatur, quae contra nihil pertinere ad hanc quaestionem in loco [5]) exposuimus.

Idem, quod de canali, de Patumo iudicandum est.

---

[1]) cf. Brugsch, Reiseberichte aus Aeg. p. 223 sq.
[2]) ad II. 47 edit. Stein.
[3]) Certius iudicare non possum, cum hospes sim in finibus aegyptologorum. [4]) cf. Ritter. Erdk. I. 1 p. 718 sqq.
[5]) v. p. 13 sqq.

§ 11. Unum Arabiae locum visum sibi ipse profitetur, eum dico, quem a Buto oppido proxime distantem percontaturus de serpentibus alatis adiit (II. c. 75). Haec autem Butos cave ne cum ampla inferioris Aegypti urbe [1]) confundatur.

Accuratiora alio in conexu [2]) proferre placet.

§ 12. Pagorum, quos recenset II. c. 165, nomina auditione pleraque comperisse videtur. Visitavit ipse e pagis Hermotybium Busiritam (si quidem is est, cuius caput Busiris II. c. 69 describitur; nam plures eius nominis urbes novimus [3]), Saïtam, Chemmitam, Papremitam. Puto eum vidisse insulam Prosopitin; de Natho nihil commemorat.

Calasirium pagorum quos adierit latet, nisi quod Thebani et Bubastitae capita haud dubie, Myecphoritam probabiliter visit; de Mendesio me admodum dubitare supra [4]) indicavi. Oppidum Anysin, pagi cognominis caput, memorat etiam II. c. 137, sed ita, ut simul ei innotuisse appareat, cum de historia Aegypti antiquissima Memphi anquireret.

Audivit tantum nomina oppidorum Siuph, Momemphis, *Ἐρυθρῆς βώλου*, Hermopolis [5]), audivitque, ubi de rebus religionibusque Aegyptiorum sciscitabatur.

§ 13. Congruens crediderim, eam quaestionem, quo sibi mensuras pacto Herodotus comparaverit, cursim perstringere. Emensum ipsum existimes, si quidem Büdingero [6]) morigerere; quam opinionem, quasi decempeda scriptor instructus universam terram modo in hanc modo in illam caeli plagam conversus permeaverit, pensitans, impeditam huiuscemodi operam fuisse eamque vel magis homini peregrino, prompte refutaveris. Sed video in l. II. cc. 3—9 septies Heliopolin ita commemorari, ut sine ulla cunctatione Steinio adstipuler conicienti [7]), et quae naturam soli Aegyptii spectent et quidquid exhibeatur mensurarum, una excepta Heliopolitanae originis esse. Docebant Herodotum sacerdotes inferiorem Aegypti partem alluvione fluvii ortam, id quod ipse suopte iudicio concluserat (II. c. 10); mensuras iisdem deberi hinc concludimus:

II. c. 7: *«ἐνθεῦτεν μὲν καὶ μέχρι Ἡλίου πόλιος ἐς τὴν μεσόγαιάν ἐστι εὐρέα Αἴγυπτος κτλ.»*.

ibid. *«ἔστι δὲ ὁδὸς ἐς τὴν Ἡλίου πόλιν ἀπὸ θαλάσσης ἄνω ἰόντι κτλ.»*

---

1) v. supra p. 56. 2) v. infra p. 62.

3) Plin. n. h. XXXVI. 16; Champollion, l. c. I. p. 365.

4) v. p. 57. 5) II. c. 172; II. cc. 163. 169; II. c. 111; II. c. 67.

6) Abh. der Wien. Akad. phil. hist. Kl. vol. 72. p. 571.

7) ad. II. c. 9.

c. 8: «ἀπὸ δὲ Ἡλίου πόλιος ἄνω ἰόντι κτλ.“
ibid. «τὸ ὦν δὴ ἀπὸ Ἡλίου πόλιος οὐκέτι πολλὸν χωρίον ὡς εἶναι Αἰγύπτου κτλ.»
c. 9: «ἀπὸ δὲ Ἡλίου πόλιος ἐς Θήβας ἐστὶ ἀνάπλους ἐννέα ἡμερέων κτλ.»

Suo iudicio latitudinem Aegypti ad summum ducenta stadia computavit (II. c. 8). — Tradit II. c. 158 stadia inter mare rubrum et Casium montem interiacere mille, cum Pelusium potius et mare rubrum hoc spatio interse distare et Strabo [1]) et Plinius [2]) testes sint, ipse autem Herodotus IV. c. 41 idem intervallum notans pro Casio monte mediterraneum mare posuerit. Videtur in itinerario Aegyptio spatium inter duo maria brevissimum a Pelusio, sed nomine urbis omisso, indicatum fuisse idque servavit scriptor IV. c. 41, contra II. c. 158 locum aliquem illius orae nobiliorem, ex quo inciperet mensura, electurus in falsum incidit.

§ 14. Examinatis singulis videamus, quid de cursibus itinerum probabiliter statui possit.

Mittenda esse, quae II. c. 104 de colore, de crinibus, de moribus Aegyptiorum proferuntur, Steinio [3]), mittenda quoque II. c. 32 haecce: «ἀλλὰ τάδε μὲν ἤκουσα ἀνδρῶν Κυρηναίων φαμένων κτλ.» Hachezio [4]) largior. Haud secus adsentior Hachezio, quod ex loco II. c. 96, ubi materies ab Aegyptiis ad naves onerarias conficiendas adhibita Cyrenaicae loto comparatur, collatis II. c. 10. IV. c. 61. c. 81 Herodotum prius in Libya quam in Aegypto fuisse conicit [5]). Sed idem quo iure Cyrene Herodotum in Aegyptum venisse sibi persuaserit, meam intellegentiam excedere confiteor. Scripsit l. c. p. 62 lin. 17: «cf. II. 6», quo in capite ne umbra quidem ullius rei huc pertinentis conspicitur. Videtur aut «III. 6.» scripturus fuisse, ut eandem quam Heysius sententiam tueretur [6]), aut in animo habuisse l. II. c. 5 verba haec: «πρῶτα μὲν προσπλέων ἔτι καὶ ἡμέρης δρόμον ἀπέχων ἀπὸ γῆς, κατεὶς καταπειρητηρίην πηλόν τε ἀνοίσεις καὶ ἐν ἕνδεκα ὀργυιῇσι ἔσεαι.» Ego autem dubito, num qui e Cyrenaica Aegyptum tenderet, unius diei itinere ab ora usquam fuerit remotus, cum ubicumque fieri potuit, littora legere, quam aperta maris petere veteres mallent. Is autem qui a Cyrene in Aegyptum vehebatur, tum opinor non diei itinere a littore recedebat, cum Delta adsequebatur; de sola enim huius natura sermonem esse memineris.

---

[1]) Strab. p. 803. [2]) Plin. n. h. V. 65.
[3]) ad. II. c. 104. [4]) l. c. p. 61 sq. [5]) l. c. p. 62.
[6]) v. infra p. 61.

Accedit quod non in Aegypto, non ipso in itinere Herodotus componendis libris operam navavisse existimandus est: ubi scripserit non liquet, nec obloquor in tanta certae memoriae penuria sive Sami sive Athenis sive Thuriis conicis. At consequens videtur, conscriptum esse opus loco aliquo Graeco, h. e. in septentrionali ab Aegypto regione. Scripsit auctor in usum popularium, horum ad intellectum accommodare omnia debuit. Itaque etiamsi experimentum illud in reditu demum navi profectus spectavit — potuerat haud dubie notitiam eius a quolibet nauta adipisci —, tamen, nisi omnia me fallunt, non licuit scribere (II. c. 5): «*ἀποπλέων*». Sic concidit Hachezii coniectura; qua abiecta altera difficultas simul evitatur. Nam Hachezio, cum Herodotum pedestri itinere Aegyptum adiisse ex III. cc. 5—9 recte perspiceret, duo itinera, alterum pedestre, alterum maritimum, comminisci necesse fuit[1]).

Iam Wesselingius[2]) opinatus est, Herodotum iter aliquod per Palaestinam ad Aegyptum fecisse. Usus esse videtur inde ab urbe Cadyti ea via, quae inter Casium montem et lacum Serbonidem per petraeam Arabiam Pelusium ducebat. Qua enim causa permotum credis, ut eam regionem nulla re celebratam permigraret, nisi ut miracula Aegypti viseret? Matzatius[3]) huc rettulit III. c. 6 «*τὸ δὲ ὀλίγοι τῶν ἐς Αἴγυπτον ναυτιλλομένων ἐνενώκασι, τοῦτο ἔρχομαι φράσων κτλ.*», unde pedestri itinere advenisse Herodotum efficit, cum non sine aliqua altioris scientiae ostentatione novisse se profiteatur incomperta illis, qui maritimo itinere uti satis habuerint. Eadem verba contrarie Heysius[4]) intellexit; et est confitendum, gloriationem, ut insit, maiorem esse quodammodo vel potius iustiorem, si ipse navi vectus solus viderit, quae ceteros effugerint omnes. Hoc igitur argumento abstinere satius est.

Dicit scriptor II. c. 75 se Butum adiisse, sciscitaturum de serpentibus alatis, de quibus plura praebet in libro tertio inde a c. 107. Custodiebant illi serpentes tus, quam fabellam ab Arabibus Herodoto impositam esse universus cc. 107—113 color luculentum reddit. Proferuntur his capitibus itineris per Arabiam petraeam instituti fructus, partim spectatione partim percontando a ducibus opinor viatorum percepti. Quodsi Herodotus Aegyptum via illa identidem significata adiit, nihil erat facilius, quam quae de serpentibus audiverat suis oculis examinare. Licet enim locus ille serpentium ossibus oppletus

---

1) Praeivit Matzatius l. c. p. 431 adn. 3. (v. infra p. 66).
2) Adsensi sunt: Gutschmid, Phil. X. p. 642; Matzat, l. c. p. 431.
3) l. c. p. 431. 4) l. c. p. 97. adn. 100.

«*κατὰ Βουτοῦν πόλιν μάλιστά κῃ κείμενος*» esset, non sequitur ilico, ipsam Butum ad Arabiam pertinuisse; et nomen procul dubio Aegyptium sonat. Ponunt oppidum nonnulli, teste Wilkinsono [1]), ubi vici nunc sunt Belbays vel Abasséëh, Schlichthorstius [2]) ubi nunc El Bueib in mappis pingitur. Aegypti certe erat, et Herodotus, si Butum appropinquavit, ipsius Aegypti fines tetigit. Non nego fieri potuisse, ut etiamsi navi advenisset, fabellae in priore aliquo itinere compertae memor Butum commearet. Sed quid nodum in scirpo quaerimus? Si quae in itinere acceperat paullo post oculorum iudicio subiecit, nihil credo fecit singulare; si annis fortasse praeteritis aliam in Aegypti partem delatus fabellae meminisset, haud equidem esset mirum; sed his ambagibus supersedere possumus. Qui de serpentibus alatis in Aegypto Herodotum certiorem factum volunt [3]) iis auctor exstiterim considerandi verba c. 75: «*καὶ τὴν ἶβιν διὰ τοῦτο τὸ ἔργον τετιμῆσθαι λέγουσι Ἀράβιοι μεγάλως πρὸς Αἰγυπτίων· ὁμολογέουσι δὲ καὶ Αἰγύπτιοι κτλ.*» Vides rem ab Arabibus compertam ad Aegyptiorum auctoritatem delatam esse. Quos Arabes non habitavisse loco illo Buto oppido proximo verba extra omnem dubitationem ponunt haec: «*καὶ ἐς τοῦτο τὸ χωρίον ἦλθον πυνθανόμενος περὶ τῶν πτερωτῶν ὀφίων*» (c. 75).

Non minore confidentia refragor eis, qui Hecataeum hac in re testem fuisse Herodoti hariolantur, quasi ideo laboriosis Herodotus sumptuosisque itineribus bonam haud dubie vitae partem contriverit, ut expilandi Hecataei facultatem sibi pararet [4]).

Restat, ut de articulo, qui est in hisce: «*περὶ τῶν πτερωτῶν ὀφίων*» (c. 75), sententiam nostram palam faciamus. Qui si inde cum Steinio explicari debet, quod, serpentium notitia per mercatores nusquam non divulgata, ut certa res cognitaque omnibus significetur, solum nobis etsi non subtrahi at concuti fatebimur. Sed huiuscemodi explicationem, ut in loco aptam esse concesserim, ita sentio semper aliquid dubii, quippe quod cognitionem nostram fugiat, habere. Sic IV. c. 36 «*τὸν λόγον*», «*τὸν οἰστόν*», ibid c. 35 «*ἐν τῷ ὕμνῳ*», ibid c. 191 «*οἱ ἀκέφαλοι*», ubi scriptor, ut in re tritissima, ne hoc quidem adnotare necesse

---

[1]) cf. Rawlinson l. c. ad II. c. 75. [2]) l. c. p. 84.

[3]) ut Roggius, l. c. p. 129.

[4]) cf. Fragm. historic. Graec. ed. Mueller I. p. 23. fr. 298. Iniquissime bonum Herodotum tractavit qui nuper prodiit Wiedemannus (Geschichte Aegyptens von Psammetich I. bis Alex. d. Gr. p. 84—101). Saniora docuit Cobetus, Mnemos. XI. 1. p. 3 sqq.

habuit, utrum hominum id genus esset an bestiarum. Addo III. c. 97 «τ ὰς ὁρτάς» et VII. c. 170 «τ ο ὺ ς πολλοὺς ἀνδριάντας». Sed de serpentibus alatis num quis Graecorum ante Herodotum audiverit nescimus; et si noverant ei fortasse, qui a Phoenicibus tus emebant, rem pro pervulgata notissimaque habere minime licuit. Ergo aliam causam circumspicere opus est.

Possessivam illam, quam tractravimus, articuli significationem[1]) ab hoc nexu alienam esse patet; relinquuntur, nisi fallor, duae explicandi viae. Aliquotiens apud Herodotum eo officio fungitur articulus, ut rem aliquam introducat ipsi scriptori notam ideoque a ceteris distinctam, quam cum lecturis non perinde constare meminerit, addita explicatione, quae enuntiato causali contineri solet, eandem omnibus definit et cognitam reddit. Steinius [2]) exempla conquisivit haec: I. c. 65: «τῷ πολέμῳ», c. 147: «τοὺς περὶ τὸ ἱρόν», III. c. 4 «τὴν ἄνυδρον», V. c. 35: «τὸν ἐστιγμένον», c. 51: «ἀποπέμψαντα τὸ παιδίον» ex quibus V. c. 35 «τὸν ἐστιγμένον« aliter explicandum videtur Nitschio [3]) — putat enim particulas quasdam operis Herodotei familiaribus primum recitatione innotuisse, hisque tritam fuisse cognitamque illam Histiaei machinam —, et ibid. c. 72 »ἡ φήμη», VI. c. ,119 «τοῦ φρέατος», VII. c. 6 «τὴν ἔχθρην». VIII. c. «ὁ ἐκ Τρηχῖνος κατάσκοπος». Addo ipse III. c. 47 «τοῦ θώρηκος», IV. c. 155 «ἀπό τε τοῦ χρηστηρίου κτλ.», «καὶ ἀπὸ τῆς τιμῆς». In eandem rationem cadere putaverim IV. c. 183 «οἱ ὀπισθονόμοι βόες», quem articulum artificiose Steinius sic interpretatur, quasi celeberrima ea res, epicorum fortasse carminibus, fuerit. Sed de bobus istis posteriores demum scriptores narrant [4]) et sequentibus «ὀπισθονόμοι δὲ διὰ τόδε εἰσί κτλ.» bestiae Herodoto satis notae legentibus quoque cognitae fiunt. Item se habet IV. c. 103: «οἱ μὲν δὴ λέγουσι ὡς τὸ σῶμα ἀπὸ τ ο ῦ κρημνοῦ ὠθέουσι κάτω (ἐπὶ γὰρ κρημνοῦ ἵδρυται τὸ ἱρόν)». Sed loco II. c. 75 etiamsi pauca, quibus de serpentium incursionibus interituque edoceamur, statim adnectuntur, plenius et accuratius ut naturam eorum sic patriam libri demum tertii cc. 107 sq. expositam invenimus. In c. 75 l. II. articuli explicandi causa neque enuntiatum per «γάρ» particulam adiungitur (ut I. cc. 65. 144. III. cc. 4. 47. IV. cc. 153. 155. V. cc. 51. 72. VI. c. 19. VII. c. 6 VIII. c. 21) neque insequuntur accuratiora (ut III. c. 4 IV. c. 183): Quae cum ita sint, hunc articulum eis adnumerandum censeo, quibus rem sibi Herodotus ut notam ideoque certam ac di-

---

1) v. supra p. 26. 2) ad I. c. 65.
3) Abhandlung über Herodot I. p. 10.
4) Arist. part. an. 2, 16. Ael. n. a. 16, 33. Athen. V. p. 221 E.

stinctam in mentem quasi revocat. Tractavimus supra [1]) II. cc. 8. 124. 126. 158. 176. III. c. 39. VI. c. 134. IX. c. 120. —

Confido igitur ab hac parte nihil obstare. Ceterum quae persuaserunt Steinio, navi Herodotum advenisse, non ea sunt, quibus cedere debeamus. Locum II. c. 5 supra absolvimus: «*προσπλέων*» scribendum fuit, etiamsi experimentum illud in reditu spectavit. Et profecto Steinius si istis tantum tribuit, non minus tribuat necesse est loco II. c. 155: « . . . . . *κατὰ τὸ Σεβεννυτικὸν καλεύμενον στόμα τοῦ Νείλου, ἀναπλέοντι ἀπὸ θαλάσσης ἄνω*». Nullius pretii esse II. c. 97 «*ἐς δὲ Ναύκρατιν ἀπὸ θαλάσσης καὶ Κανώβου διὰ πεδίου πλέων ἥξεις κτλ.*» supra [2]) diximus.

§ 15. Puto igitur Herodotum inde ex Arabia petraea Pelusium esse adsecutum, quod si iure, coniectando divinare non possum, cur pedem infecta quasi re rettulerit. Quid moverit ad terram adeundam, nisi cupido visu digna noscendi? Fuit in Arabia petraea, fuit prope ab oppido quodam Aegyptio, visit Aegyptum, navi se venisse nusquam prodit — nonne praestat certis hisce uti, quam coniecturas excogitare, nulla re adiutas, nisi quod fortuitis homines obnoxios esse scimus?

§ 16. Iam perardua oritur quaestio et infructuosa, quot in Aegypto itinera confecerit Herodotus. Certis enim temporum indiciis destituti, simul destituti omni certa eliciendi facultate, probabilia quidem coniciendo adsequi possumus, probare quicquam penes nos non est. Memineris autem scitissimum illud Rawlinsoni [3]), menses ab Herodoto haud dubie, fortasse annos in perlustranda terra esse consumptos.

Memphi commoratus est Herodotus; unde illuc venerit, nescimus. Steinius verbis II. c. 97 supra exscriptis nisus Canopo eum inundationis tempore profectum suspicatur.

Quam navigationem ut fecerit, cur fecerit primo adventu?

Si conicimus — nam in coniecturarum gyro versamur — Herodotum a Pelusio orsum Bubasti substitisse, ibi spectaculo II. c. 60 descripto interfuisse indeque ad visendas serpentium reliquias Butum excurrisse, eo commodo fruimur, quod consentanea posuimus nec quibus quicquam repugnet.

A Bubasti Memphin proficisci, hinc Heliopolin commodissime adire potuit. Nam ex verbis II. c. 3 «*καὶ δὴ καὶ ἐς Θήβας τε καὶ ἐς Ἡλίου πόλιν αὐτῶν τούτων εἵνεκεν ἐτραπόμην*», cave ne primum Thebas, deinde Heliopolin petitam efficias, cum

---

[1]) v. p. 21 sq. [2]) v. p. 55. [3]) l. c. I. p. 9.

longiorem de Heliopolitarum memoria excursum statim adnexurus Heliopolin posteriore loco posuerit.

Thebas et Elephantinen navigavit, inde regresso Memphis iterum attingenda fuit, hac relicta Cercasorum, Prosopitin, Atarbechin fortasse praetervectus Sain tetendisse videtur. Nam Sai fuit posteaquam Elephantinen visitavit; id quod luculente apparet ex II. c. 28 hisce: «*οὗτος δ' ἔμοιγε παίζειν ἐδόκεε φάμενος εἰδέναι ἀτρεκέως*». Quo enim pacto ridiculam habere narratiunculam sacerdotis potuit, nisi ipse regionem ab illo significatam cognitam habuisset?

Contra II. c. 175 «*Ἐλεφαντίνης πόλιος πλέον καὶ εἴκοσι ἡμερέων ἀπεχούσης ἀπὸ Σάιος*» huc non quadrant.

A Sai commoda Butum, Busirin, Naucratin, Canopum visendi facultas fuit. De Papremi in tanta situs ambiguitate iudicari nequit.

§ 17. Restat illud iter, quod Tyrum se fecisse diserte testatur. Sed verba II. c. 44: «*καὶ ἐθέλων δὲ τούτων πέρι σαφές τι εἰδέναι . . . ἔπλευσα καὶ ἐς Τύρον τῆς Φοινίκης κτλ.*» integri iudicii compotem nihil docent, nisi Herodotum post Aegyptium iter Tyrum esse vectum. Putabant olim ex Aegypto eum in Phoeniciam[1]), hinc Thasum[2]) traiecisse, quem in errorem a Matzatio[3]) satis refutatum denuo Hachezius[4]) incidit. Sed ne ipse quidem Matzatius[5]) verba modo exscripta plane perspexisse videtur. Quibus navigationem Tyrum susceptam commonstrari animadvertit; sed neglecto nexu fugere se passus est, quod tamen dubium esse non potest, Herodotum eis, quae de Hercule sacerdotes Aegyptii tradiderant, adductum esse, ut accuratiora sciscitandi causa Tyrii Herculis sacerdotes conveniret. Ergo si iure Matzatius Tyro Herodotum profectum ad Aegyptum iter fecisse statuit, bis Tyri adfuisse scriptorem sequitur. Ego tamen prorsus non video, cur Tyrum mordicus teneamus. Causarum certe ne umbram quidem Matzatius attulit, nisi quod Tyri fuisse Herodotum et Palaestinam peragrasse constat. Ponamus animi causa, ex Cypro eum, ubi nescio an fuerit, Ascalonitarum de Venere (cf. I. c. 105) sciscitaturum Ascalonem, hinc Cadytin (cf. II. 159; III. c. 5), inde Pelusium petivisse — in his quid insit improbabile non video. Hariolatio sane est, sed peius hariolatus est Matzatius, cum difficultatem

---

[1]) Heyse l. c. p. 113 adn. 117.

[2]) Jaeger, disput. Herodot. duae p. 18. Breddin, l. c. p. 22 adn. 58. Abicht, praef. edit. I. p. 21.

[3]) l. c. p. 431, adn. 2. [4]) l. c. p. 62.

[5]) l. c. p. 431 cum adn. 3.

plane inutilem male intellecto textu crearet, cui difficultati alteram adiecit, Herodotum bis in Aegyptum venisse opinatus. Quod minime necessarium esse demonstravimus. Latet igitur unde inceperit iter suum Herodotus, sed primum in Aegypto, deinde Tyri fuit.

§. 18. Quo ex loco reditum instituerit, perspectum non habemus; eis, qui ut Heysius [1]), Starkius [2]), Steinius [3]) reditu vindicant quam nos adventui viam, antecedentibus sat responsum est.

Summarium.

I. Visit Herodotus in Europa:

Scythiae Exampaeum.
Thraciae Byzantium.
Epiri Dodonam.

Graeciae agrum Trachinium, Thermopylas et loca vicina, Delphos, Thebas, agrum Plataeensem, Athenas, Spartam cum Therapnis, Tegeam, Nonacrin, Olympiam; insulas Salamina, Delum, Samothracen, Thasum, Zacynthum; adice Artemisium Euboeae.

Ne morosior videar, concesserim, de Madyto et Paro idem paene constare.

Itinerum haec certa sunt: Pontum a Bosporo ad Phasin, a Sindis ad Themiscyram, praeterea Hellespontum et Propontidem ipsum se emensum dicit, nec dubito quin Athenis Thurios venerit.

II. Visit in Africa:

Libyae Cyrenen.

Aegypti Pelusium, Bubastin, Butum Arabiae vicinam, Memphin, pyramides, Heliopolin, Crocodilonpolin cum lacu Myridis et labyrintho, Chemmin et Neapolin, Thebas, Elephantinen, Sain, Butum Latonae urbem, Busirin, Papremin.

De itineribus edocti sumus his: Venit nescio unde Cyrenen, peragravit Palaestinam, Arabiam petraeam, ut Pelusium adsequeretur, in Aegypto ad Elephantinen excessit.

---

[1]) l. c. p. 97.
[2]) Gaza u. d. philistaeische Küste p. 235. [3]) l. c. p. XVIII.

Absolutis, in quae tetendi, nihil restat, quod moneam, nisi ne quis iudicium me dixisse opinetur, quotiens pro approbato aliquid accipere fas non erat. Largiamur fieri potuisse, ut multo plura, quam nobis cognita sunt, itinera faceret Herodotus, ut universam Asiam minorem [1]) totamque Graeciam [2]) quoquo versus permearet; consideratis tamen quae tunc obstabant peregrinanti difficultatibus eo potius propendeo, ut uno in itinere ponendo conquiescam, ubi ponendi duo non sit necessitas. Sed hoc ut cuique libitum diiudicetur: nostrae scientiae quas modo adumbravimus angustias ei potissimum pensitanto, qui nisi petasatum fingere sibi Herodotum nolunt.

---

[1]) Sic Matzat l. c. p. 404.
[2]) Sic Heysius, l. c. p. 118. Stein, l. c. p. XIX sq.

Vita.

Natus sum Ferdinandus Ricardus Hildebrandt Magdeburgi XVIII. die mensis Octobris anni h. s. LXI patre Ferdinando, matre Anna e gente Brandt, quibus vivis adhuc maxime gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Anno aetatis meae octavo Dresdam cum parentibus transgressus primisque litterarum elementis a patre institutus inde ab anno LXXIV gymnasium ad aedem Sanctae Crucis frequentavi. Maturitatis testimonio instructus vernali tempore anni LXXX inter universitatis litterarum Lipsiensis cives receptus sum scholasque audivi Biedermanni, Brandesii, Creizenachii, Curtii, Ecksteinii, Hirzelii, Holzapfelii, Langii, Lipsii, Ribbeckii, Voigtii, Wülckeri, Wundtii, Zarnckii.

Proseminarii regii philologici per tria semestria sodalis, per unum senior, seminarii regii philologici per tria semestria sodalis ordinarius fui, praeterea seminario paedagogico Ecksteinii altero, societati antiquariae graecae Lipsii quinto, societati philologicae Ribbeckii tertio hoc semestri intersum.

Praeceptoribus istis meis illustrissimis, inprimis Curtio Langio Lipsio Ribbeckio, quantum debeam scio nec unquam obliviscar.